FONTES

IURIS ECCLESIASTICI

ANTIQUI ET HODIERNI.

EDIDIT

FERDINANDUS WALTER.

BONNAE

APUD ADOLPHUM MARCUM

1862.



PRAEFATIO.

In collectione hac fontium iuris ecclesiastici instituenda duplex mihi propositum fuit, cui etiam duae eius partes respondent. In priore parte ea monumenta colligenda esse duxi, quae ad historiae iuris canonici studium accurate instituendum eiusque cognitionem promovendam aut necessaria aut saltem utilissima sunt, quorum autem adeundorum iuris studiosis aliisque magna librorum supellectile haud instructis raro copia est. In tanta talium monumentorum ubertate et varietate difficilis sane delectus fuit, deque opportunitate eorum quae recepi quaeque omisi disputare licet. Ast inprimis curandum fuit, ne collectio instituti fines excederet nimiamque in molem excresceret.

Altera pars uberior fontes iuris ecclesiastici hodierni et novissimi continet. Magnus eorum numerus imo postremis his temporibus prodiit, qui gravissimas de statu ecclesiae eiusque cum republica

nexu quaestiones concernunt, qui tamen nusquam collecti sed non nisi multis libris dispersi inveniuntur. Hinc meum librum non tantum iuris ecclesiastici studiosis sed etiam historiae ecclesiasticae investigatoribus utilem gratumque fore confido, eoque lector benevola mente utatur.

Scribebam Bonnae Idib. Decembr. MDCCCLXI.

FONTES IURIS ECCLESIASTICI.

PARS PRIOR.

Monumenta historica ordine chronologico disposita.

PARS POSTERIOR.

Fontes iuris ecclesiastici hodierni secundum materias dispositi.

A) Concordata et constitutiones generales.

*

B) Regimen ecclesiae.

C) Res iudiciaria.

D) Bona ecclesiastica.

E) Cultus publicus.

Pars prior.

Monumenta historica ordine chronologico disposita.

I. Regula Formatarum *).

Graeca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Graeci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere praesumeretur, hoc a patribus CCCXVIII Nicaeae congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut Formatae epistolae hanc calculationis seu supputationis habeant rationem; id est ut assumantur in supputatione primum Graeca elementa Patris et Filii et Spiritus sancti *ΠΥΑ*, quae elementa octogenarium, quadringentesimum et primum significant numeros: Petri quoque Apostoli prima littera, id est *Π*: qui numerus octoginta significat: eius qui scribit Episcopi prima littera, cui scribitur secunda littera, accipientis tertia littera: Civitatis quoque de qua scribitur, quarta, et Indictionis, quaecumque id temporis fuerit, idem qui fuerit numerus assumatur: atque his omnibus litteris Graecis, quae ut diximus numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quaecunque fuerit, summam epistola teneat. Hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressam. Addat praeterea separatim in epistola etiam nonagenarium et nonum numerum, qui secundum Graeca elementa significat *ΑΜΗΝ*.

*) E codice canonum saeculi quinti apud Ballerin. Oper. Leon. III. 452. De litteris formatis et commendatitiis vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 207. not. 9.

II. Litterae commendatitiae*).

Sancto et Deo amabili Magnoni, dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus, dono Dei Archiepiscopus ex Bitorige urbe, in Domino Iesu salutes optamus vobis in perpetuum. De caetero notum facimus sanctitati vestrae quia iste praesens Presbyter, nomen Dodobertus, parochianus noster, in nostra diocese natus, et sacris litteris edocatus sit, ad ordinem sacrum eum promovere iussimus. Postea vero petivit nobis licentiam ut in vestra parochia apud hominem aliquem nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus quod de bene liberis hominibus ortus sit. Unde has litteras commendatitias more Ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra eum nec fuga lapsum, nec sua malitia a nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Graeca elementa quae octogenarium quadringentesimum et primum numerum exprimunt inprimitus adnexuimus. II Petri quoque nomine primam litteram sumptam in medium adscribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostrae nomine primam literam E. magnitudinis vestrae secundam litteram A. istius fratris nomine tertiam litteram *Δ*. civitatis nostrae quartam *B*. et indictionem quartam adiunximus. Addidimus nonagenarium et nonum numerum, id est *Φ* et *Θ* et insequenter impressione sigilli nostri subter confirmavimus, et manu propria eam roboravimus et Clericis iussimus nostris roborari. Actum in anno decimo imperii Domini nostri ill. et anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

III. Marculfi formulae selectae**).

E libro I.

Praeceptum de episcopatu.

V. Ille Rex viro apostolico illo Episcopo. Quamvis nos administrandum gubernandumque rerum statum praecelsis occu-

---

*) Ex Appendice Marculfi anno 810. Propter harum litterarum cum formatis nexu eas extra ordinem chronologicum adiunxi.

**) Circa annum 660 compositae sunt. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 94. not. 3. §. 224. not. 2. §. 329. not. 6.

pationibus regiae sollicitudinis cura constringat, nihil tamen tam principali quam Principe dignum est ut cum a pastorali paululum aberrat plebs destituta praesidio, pro salute animarum huiusmodi personis locis celsioribus pontificalem prospiciat committere dignitatem in quibus maneat dupliciter sermo, ut populus magistrum, actus Christi imitetur discipulus; qui plebem non minus pietate quam severitate constringat, qui sciat commissa sibi talenta assiduae praedicationis sermonibus expolire, et adquisita multiplicataque gregis sui salute, ad ovile dominico nullis maculis sordidato valeat praesentare. Et quia cognovimus sanctae recordationis Domno illo urbis illius Antestite evocatione divina ab hac luce migrasse, de cuius successore sollicitudine congrua una cum Pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes, decrevimus inlustri viro (aut venerabili) illo in ipsa urbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem; quem plerumque apud animos nostros et actio probata commendat, et nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis et prudentiae honestas exornat. Qua de re statuta praesentibus ordinamus ut cum adunatorum caterva Pontificum, ad quos tamen nostrae serenitatis devotio scripta pervenit, ipsum, ut ordo postulat, benedicere vestra industria studeat et voluntatis nostrae deliberationem reseratis oraculis publicare, atque effectum Domino annuente sortire; quatenus dum Ecclesiam sibi a dispensatione divina commissam strenue regere atque gubernare videtur, nobis apud aeternum retributorum mercedem suffragia largiantur, et ille pro peccatorum nostrorum mole indesinenter immensum Dominum debeat deprecare.

Indiculus Regis ad Episcopum ut alium benedicat.

VI. Domino sancto sedis apostolicae dignitate colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus iam ad vestram reverentiam pervenisse sanctae recordationis illum illius urbis Antestitem evocatione divina de praesentis seculi luce migrasse: de cuius successore sollicitudine congrua cum Pontificibus vel Primatibus populi nostri pertractantes, decrevimus inlustri viro illo, (aut venerabili viro illo) ad praefatam urbem pontificalem regulariter, Christo auspice, committere dignitatem. Et ideo salutationum iura dignum debito honore solventes, petimus ut cum ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postulat, benedicere vestra sanctitas non moretur, et iunctis vobiscum vestris Comprovincialibus, ipsum in suprascripta urbe Pontificem consecrare, Christo

auspice, debeatis. Agat ergo almitas vestra, ut et nostrae voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, et tam vos quam ipse pro stabilitate regni nostri iugi invigilatione plenius exoretis.

Concessio civium pro episcopatu.

VII. Suggestio piissimo, ac praecellentissimo Domno illo Regi vel Seniori commune illius, a servis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestrae circumspecta clementia novit iusta petentibus dignanter adnuere, suo moderaminis iudicio ponderante, praesertim cum illa deposcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, constanter Ecclesiae regimen pullulare quod et ipsae regali clementiae prosit salutis pariter ac mercedis. Quoniam sanctae memoriae vir apostolicus ille, illius urbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturae complente, ne destitutae sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco eiusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini inlustrem virum illum (aut venerabilem illum) cathedrae illius successorem, in quo est praespicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, caritatis locuplex voluntas. Inrefragabiliter manu nostra hunc consensum decrevimus roborare.

E libro II.

De magna re qui vult exsenodochio aut monasterio construere.

I. Domino vero sancto atque sedula ostensione patentibus virtutum miraculis Christi remuneratione fulgenti, oratorio ac cellula in honore sanctae ac semper Virginis genitricis Domini nostri Iesu Christi aut in alterius Sancti constructa, ille, reus quidem meritis flagitiis, quoque sceleribus, praelascivis actibus ac nimia foeditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longe satis extremus. Hoc tota pene sanctarum Scripturarum series Christianis fidelibus pia exhortatione pronuntiat, hoc etiam tonitrualis illa Evangelistarum vox, sancto suggerente Spiritu, sua potestate concelebrat, ut faciat in pauperes eleemosynam qui vult tartari evadere supplicia. Unde et Dominus in Evangelio dicit: *Vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo.* Pensemus ergo omnes Christiani quanta sit pietas et largitio Redemptoris ut eleemosynas paupe-

rum promittantur nobis thesauri regni coelorum. Procuremus igitur, sicut Dominus et salvator noster praecepit, et ac si non quantum avemus, saltim in quantum possumus, eleemosynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet: quia si nos facimus quae Dominus et salvator noster praecepit ille sine dubio facturus est quae promisit. Ait enim Scriptura: *Abscondite eleemosynam in corde pauperis, in ipsa pro te deprecabitur Domino.* Abscondamus ergo eleemosynam in corde pauperis, ut proveniat nobis deprecatio pauperum in remissionem peccatorum. Multa quidem et alia quae latiniosa sunt prosequi pro eleemosynis faciendis testimonia in Scripturis sanctis reperimus; inter quibus vel ex quibus illam ego existimo potiorem sententiam quae ait: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Quid ergo verius potest credi, quid confidentius, quidve expressius, quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum? Iuste ergo extinguitur qui peccatorum incendia eleemosynis iuxta pollicitationem divinam extinguere non festinat. Faciant quippe caeteri quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quia omnis homo suo sensu ducitur; ego tamen huius rei exemplum secutus elegi ad praefato oratorio vel cellula, iuxta Apostolorum numerum duodecim ad praesens pauperum, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo praesule conlocare; ubi etiam per praesentem epistolam donationis meae dono ad praesente die quod in luminaribus ipsius oratorii vel in alimonia et substantiali victu, vestitu quoque et sustentatione ipsorum pauperum vel Clericorum ibidem servientium, Deo gubernante et opitulante, proficiat, donatumque in perpetuum esse volo, atque de meo iure in eorum dominatione et potestate lego, trado, transmitto, atque transfundo, hoc est, agros quorum vocabula sunt illa et illa, quae ponuntur in territorio illo, pari modo, et quicquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portione mea, una cum mancipiis, aedificiis, vineis, terris, pratis, silvis, omnique iure eorum, una cum colonicis adiunctis, adiacentiis earum, in omni soliditate earum, sicut a me noscitur fuisse possessum, aut mihi ex legitima successione aut undecunque aliquid mihi ibidem obvenit, cum omni soliditate vel opportunitate earum ad integrum; ea scilicet ratione atque praetexto ut remota Pontificum simulque ecclesiasticorum omnium officialium seu publicorum omnium potestate, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita et lauta convivia, neque gratiosa

vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum pastus, aut paravereda, vel caeteras angarias, aut in quodcunque functionis titulum dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur, sed sub integra emunitate facultaticula ipsa, sicut a me huc usque possessa est, in iure oratorii sancti illi et praedictorum pauperum debeant, Deo protegente et opitulante, persistere; nisi tantum sancti et apostolici illius urbis Episcopi, in cuius oppido exsenodocius ipse ponitur, pro tradendis benedictionibus vel substituendis Abbatibus, Presbyteris quoque et Diaconibus, absque ulla pecuniarum adeptione. Amplius vero donandi, exigendi, vel minuendi causam nullam habeat potestatem. Sed nec per commutationis locum quicquam ex hoc auferendi nullo tempore occasio vel aditus tribuatur, sed perpetualiter in potestate praefati oratorii sancti illius vel ipsorum pauperum, Christo favente, permaneat. Hoc etiam ipsis Pontificibus obsecro vel committo, ut illos per succedentibus temporibus, cum casus mortis extiterit, Abbatibus aut Clericis vel reliquis Clericorum gradus in eodem loco dignentur vel debeant instituere, quos sapientia et eruditio scripturarum clarificat, vel quos vita sancta et actio bona aut conversatio honesta commendat. Unde obsecro clementissimis Regibus tam praesentibus quam futuris et omnibus in Deo Episcopis omnibusque Potestatibus ac Primatibus, omnes etiam Seniores, quoscunque Iudices esse constiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam et per inseparabilem Patri et Filio et Spiritui Sancto Trinitatem, ut hac voluntate mea pro nullis occasionibus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nulla ratione nulloque tempore convellere permittatis, sed per sollicitudinem et curam Episcopi constare potius pro reverentia Trinitatis immensae vestro tempore et studio vel opere iubeatis; quatenus ut et ille vobis mercedem restituat in futuro qui scit me eleemosynis ipsis sanctis Dei pauperibus pro amore Domini nostri Iesu Christi ardenti desiderio tribuisse. Si quis huic voluntati meae pro quibuslibet adinventionibus seu oppositionibus, sicut mundus cottidie artibus et ingeniis expolio obvius, vel repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator extiterit, anathema sit; et tam qui fecerit quam qui faciendo consenserit, anathema sit; et sicut Dathan et Abiron hiatu terrae absorpti sunt, vivens in infernum descendat, et cum Ziezi fraudis mercatore et in praesenti et in futuro seculo partem damnationis excipiat; et tunc veniam consequatur quando consecuturus est et diabolus, qui sese fallendo aetheria sede

deiectus, cruenta adinventione bonis operibus semper obviare pervigilat; insuper etiam inferat socianti quoque tam in persecutione quam in exactione sacratissimo fisco, vel sancto Episcopo Ecclesiae ipsius auri libras centum; et nihilominus haec praesens epistola, quae a me pro timore Dei et amore pauperum conscripta est, firma, incorrupta, intemerata, inviolataque permaneat. Ego namque de conlatis ac superius praenotatis rebus omnia ad curam et sollicitudinem aut defensionem rerum vel gubernationem ipsorum pauperum sancto ac praenotato Domno illo Episcopo vel successoribus suis, Deo sibi teste, committo; et instrumenta, per quod res ipsas, auxiliante Domino, per eorum sollicitudine defensentur, superscripto Domno illi Episcopo prae manibus tradidi; et qualiter ibidem provide, pie, rectene secus egerit, Christo Domino in se iudice recognoscat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulum penitus non reservavi: quia facile contemnit omnia qui cupit ab inferni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remissionem, Deo remunerante, desiderat, aut ille qui semper cogitat cum velit nolit esse moriturum. Stipulatione. Et caetera.

IV. Ex libro diurno Romanorum pontificum *).

Caput II.
De ordinatione Summi Pontificis.

Titulus I.
Nuntius ad Exarchum de transitu Pontificis.

Superscriptio. Domino excellentissimo, atque praecellentissimo, et a Deo nobis longaeviter in principalibus ministeriis feliciter conservando, Ill. Exconsuli, Patricio et Exarcho Italiae, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, Ill. Primicerius Notariorum, servantes locum sanctae sedis Apostolicae.

Quamvis non sine gravi gemitu et vere flebili voce, a Deo servatae excellentiae Domini nostri, per has nostras innotescimus humiles syllabas, Dei iudicio, cuius dispensatione universus regitur orbis, ab hac luce fuisse subtractum Dominum Ill. sanctissimum nostrum Pontificem, cuius cuncti vere, et si dicendum

*) Insignis haec collectio circa annum 714 composita est. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 94.

est, etiam lapides ipsi, fleverunt exitum. Die enim Ill. instantis mensis obiit, pro cuius consternati, ut diximus, funere, omnes grandi tristitiae premimur mole, ad solam Christi Dei nostri cordis oculos miserationem attollentes, ut ipse dignetur subvenire desperatis, et suae providere dignum rectorem ecclesiae, a quo fundata est, qui etiam est pollicitus, *non ei praevalere portas inferni.* Post divinum auxilium ad vestram excellentiam, Domine Ill. excellentissime, et a Deo nobis multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. Ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad nostram consolationem humanum alibi non habemus confugium.

Titulus II.
Decretum de electione Pontificis.

Inter caetera, quae summae divinitatis consilio disponuntur, Pontificalis promotionis sublimitas, ipso, a quo procedit omne quod bonum est, praedestinante ac largiente, conceditur: nimirum novit humanis rebus providentia divina succurrere, et moerentium fletus ac gemitus in exultationem convertere; ut, qui nuper consternabantur afflicti, postmodum appareant nimium consolati. Canentis enim Regis sunt dicta, quae Sanctus Spiritus de templo prophetalis cordis insonuit. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia.* Qui et iterum gratias referens Deo, beneficiorum eius magnificentiam canit et dicit: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, et praecinxisti me laetitia, ut canet tibi gloria mea, et non compungar, ipsi enim cura de nobis est*, ut vas electionis et verae fidei monet integritas. Quippe quae sunt tristitiae, ad gaudium miserando perducit, quod et nobis exiguis et peccatoribus opem de eius misericordia praestolantibus dignatio caelestis exhibuit.

Etenim pontificalis memoriae Domino Ill. Papa de praesentibus curis ad aeternam requiem evocato, ut assolet humanis rebus accidere, magna nos tristitiarum moles obstrinxerat proprio dispensatore destitutos: sed non diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se dereliquit. Divina enim nobis in oratione manentibus, ut caelestis dignatio demonstraret, quem dignum ad successionem Apostolicae vicis iubeat eligendum, eius gratia suffragante, et omnium animis inspirante, in unum convenientibus nobis, ut moris est, id est, cunctis Sacerdotibus ac Proceribus Ecclesiae, et universo Clero atque

Optimatibus, et universa militari praesentia, seu civibus honestis, et cuncta Generalitate populi istius a Deo servatae Romanae urbis, si dici est, a parvo usque ad magnum, in personam Ill. sanctissimi huius sanctae Apostolicae sedis Romanae Ecclesiae Presbyteri, Deo cooperante, et beatorum Apostolorum annisu concurrit, atque consensit electio.

Cuius Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conscientias bonae et pudicae conversationis profectio, ut nullus in eius electione dissideret, nullus abesset, nullusve seipsum subtraheret, quem nempe ad hoc Apostolicae vicis officium incomparabilis, atque indeficiens Dei nostri providentia praedestinatum habuerat. Quomodo non et humanis mentibus unanimis consonantia conveniret in id, quod procul dubio in Dei praesentia tenebatur adfixum?

Cuius et decretum solemniter facientes, et desideria cordium circa eius electionem manuum subscriptionibus confirmantes, profitemur, ipsum Deo amabilem nostrum Electum, castum, pudicum, sobrium ac benignum, et in omnibus piis operibus esse perfectum, atque orthodoxae fidei et sanctorum Patrum traditionis defensorem, et fortissimum observatorem.

Hunc omnes, ut profecto mitissimum virum, pro eius suavissima ac bonae voluntatis constantia unanimiter nobis elegimus Pastorem atque Pontificem, unde ob eius piae conversationis integritatem immensas Redemptori nostro laudes referimus, consona cum Propheta canentes voce: *Magnus es, Domine Deus noster, et magna virtus tua. Quis enim loquetur potentias tuas, Domine, et auditas faciet omnes laudes clementiae tuae?* Quoniam vota petentium te exaudiens, pium nobis contulisti Pastorem, qui sanctam tuam universalem Ecclesiam, et cunctas dominicas ac rationales sibi commissas oves regere atque gubernare, te Domine Deo et Salvatore nostro protegente, valeat.

Hoc vero decretum a nobis factum subter, ut praefatum est, manibus propriis roborantes, in archivo dominico nostrae sanctae Romanae Ecclesiae, scilicet in sacro Lateranensi scrinio, pro futurorum temporum cautela, recondi fecimus in mense Novembrio, indictione quinta.

Ill. humilis Presbyter sanctae Romanae Ecclesiae huic decreto a nobis facto in Ill. sanctissimum Presbyterum consensi et subscripsi: similiter totus Clerus, Optimates, et Milites seu Cives subscribunt.

Titulus III.

Relatio de electione Pontificis ad Principem.

Cum non sine divinae misericordiae nutu sit, ita post mortem summi Pontificis, in unius electionem omnium vota concurrere, et convenire consensum, ut nullus penitus inveniretur, qui discors posset existere. Necessarium est, ut serenissimo ac piissimo Domino petitionis nostrae famulanter debeamus preces effundere, quem certum est, et de subiectorum suorum gaudere concordia, et clementer unitati postulata concedere.

Obeunte itaque beatissimae recordationis Papa nostro Ill. in electionem Ill. venerabilis Apostolicae sedis Archidiaconi, omnium, Deo volente, declinavit assensus, propterea quod ita ab ineunte aetate sanctae idem Ecclesiae militavit, atque sic se in omnibus sollerter exhibuit, ut Ecclesiastico regimini non immerito, divina suffragante gratia, sit praeponendus; praesertim cum talis olim fuerit instituti, ut etiam praedicti beatissimi Ill. Pontificis assidua conversatione sua ad tantorum meritorum insignia, quibus isdem sanctae recordationis Antistes fuisse cognoscitur adornatus, fecerit, Christo adiuvante, profectum, ut verbis suis desiderantes ad superna gaudia animos semper accenderit: ut, quidquid boni in illo amisimus, in hoc nos invenire indubitabiliter confidamus.

Ideoque lacrymabiliter cuncti famuli supplicamus, ut dominorum pietas servorum suorum obsecrationes dignanter exaudiat; et concessa pietatis suae iussione, petentium desideria, pro mercede imperii sui, ad effectum de ordinatione ipsius praecipiat pervenire. Quatenus per sacros Clementiae suae apices, sub Pastore eodem constituti, pro vita imperioque serenissimorum dominorum nostrorum, omnipotentem Dominum, et beatorum Apostolorum Principem, cuius Ecclesiae dignum ordinari gubernatorem concedit, iugiter exoremus.

S u b s c r i p t i o S a c e r d o t u m. Ego Ill. misericordia Dei Presbyter sanctae Ecclesiae Romanae huic decreto a nobis facto in Ill. venerandum Archidiaconum sanctae sedis Apostolicae, et Electum nostrum consentiens subscripsi.

E t s u b s c r i p t i o l a i c o r u m. Ego Ill. pietatis vestrae servus huic decreto a nobis facto in Ill. venerandum Archidiaconum sanctae sedis Apostolicae, et Electum nostrum consentiens subscripsi.

Titulus IV.

De electione pontificis ad Exarchum.

Superscriptio. Domino excellentissimo atque praecellentissimo, et a Deo nobis longaeviter in principalibus ministeriis feliciter conservando, Ill. Exconsuli, Patricio et Exarcho Italiae, Presbyteri, Diaconi, et familiaris universus Clerus, Axiomati etiam, seu exercitus et populus huius Romanae urbis supplices.

Novit humanis rebus providentia divina succurrere, et moerentium fletus ac gemitus in exultationem convertere; ut qui nuper consternabantur afflicti, postmodum appareant nimium consolati. Canentis enim Regis sunt dicta, quae Sanctus Spiritus de templo prophetalis cordis insonuit. *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia.* Qui et iterum gratias referens Deo, beneficiorum eius magnificentiam canit, et dicit: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, et praecinxisti me laetitia, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Ipsi enim cura de nobis est, ut vas electionis et verae fidei monet integritas, quippe quae sunt tristitiae, ad gaudium miserando perducit: quod et nobis exiguis et peccatoribus opem de eius misericordia praestolantibus, dignatio caelestis exhibuit.

Etenim pontificalis memoriae Ill. de praesentibus curis ad aeternam requiem evocato, ut assolet humanis rebus accidere, magna nos tristiciarum moles obstrinxerat, proprio dispensatore frustratos: sed non diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se dereliquit: triduo enim nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium mentibus caelestis dignatio demonstraret, quem dignum ad successionem Apostolicae vicis iubeat eligendum, eius gratia suffragante, et omnium animis inspirante, in uno convenientibus nobis, ut moris est, familiaribus Cleri et plebis, Procerum etiam et militaris praesentiae, si dici est, a parvo usque ad magnum, in personam Ill. sanctissimi huius sanctae Apostolicae sedis Romanae Ecclesiae Archidiaconi, Deo cooperante, et beatorum Apostolorum annisu, concurrit atque consensit electio.

Cuius Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conscientias bonae et pudicae conversationis perfectio, ut nullus in eius electione dissideret, ac nullus abesset, nullusve seipsum subtraheret: quem enim ad hoc Apostolicae vicis officium in-

comparabilis atque indeficiens Dei nostri providentia destinatum habuerat, quomodo non et humanis mentibus consonantia conveniret? Quod procul dubio in Dei praesentia tenebatur adfixum.

Cuius et decretum solemniter facientes, et desideria cordium, circa eius electionem, manuum subscriptionibus confirmantes, per harum latores Ill. sanctissimum Episcopum, Ill. venerabilem Presbyterum, Ill. Notarium Regionarium, Ill. adaeque Subdiaconum Regionarium, Ill. et Ill. Viros, honestos cives, et de florentissimo atque felicissimo Romano exercitu, Ill. eminentissimum Consulem, seu Ill. et Ill. viros magnificos Tribunos militiae confamulos nostros direximus, supplicantes atque communiter impensissime exorantes, a Deo conservandae praecellentiae vestrae consuetam bonitatem, piis votis concurrere: quia talis a nostro famulatu concorditer electus est, in quo, quantum ad hominum scientiam respicit, nullius macula reprehensionis apparebit.

Et ideo supplicantes quaesumus, ut inspirante Deo celsae eius dominationi, nos famulos voti compotes celeriter fieri praecipiat: praesertim cum plura sint capitula, et alia ex aliis quotidie procreentur, quae curae solicitudinem et Pontificalis favoris expectant remedium. Provinciales vero curae, vel quaecumque sunt subinde causarum utilitates, perfectae autoritatis censuram expectant. Propinquantium quoque inimicorum ferocitas, quam nisi sola Dei atque Apostolorum Principis per suum Vicarium, hoc est, Romanae urbis Pontificem, virtus aliquando vero flectit et morigerat hortatu, singulari interventu indiget, cum huius solius Pontificalibus monitis, ob reverentiam Apostolorum Principis, parentiam offerant voluntariam, et quos non virtus armorum humiliat, pontificalis increpatio cum observatione inclinat.

Cum haec ita sint, iterum atque iterum impensius, praecelse, et a Deo servate Domine, supplicamus, ut celerius, Deo operante, vestrisque praecordiis inspirante, Apostolicam sedem de perfecta eiusdem nostri Patris atque Pastoris ordinatione adornare praecipiatis, utpote per gratiam Christi ministerium Imperialis fastigii feliciter atque fideliter peragentes: quatenus et nos exigui famuli desiderium nostrum maturius expleri cernentes, incessabiles Deo et Imperiali clementiae, atque eximiae ac Deo placitae Dominationi vestrae gratiarum actiones valeamus exsolvere, et cum promoto Apostolicae sedis Pontifice, spiritali nostro Pastori iuges preces effundere pro vita atque incolumitate, perfectisque victoriis tranquillissimorum atque Chri-

stianissimorum Dominorum nostrorum, Ill. et Ill. magnorum, victorum, Imperatorum, ut regalibus eorum virtutibus misericors Deus multiplices concedat victorias, et de subiectione omnium gentium Christianam rempublicam faciat triumphare, deque restituta plenius Romani Imperii prisca devotione laetitiam cordis impertiat.

Scimus enim, quod oratio eius, quem ad Pontificalis dignitatis culmen Dei nutu eligimus, divinam omnipotentiam suis precibus flectet atque complacabit, et optatae felicitatis incrementa Romano Imperio praeparabit, vestramque a Deo custodiendam potestatem, ad dispensationem huius servilis Italicae Provinciae, nostrumque omnium famulorum praesidium et subventum longaevis armorum actis conservabit.

Subscriptio Sacerdotum. Ego Ill. humilis Archipresbyter sanctae Romanae Ecclesiae huic decreto in Ill. sanctissimum Archidiaconum et Electum nostrum consentiens subscripsi.

Subscriptio laicorum. Ego Ill. in Dei nomine Consul huic decreto a nobis facto in Ill. sanctissimum Archidiaconum et Electum nostrum consentiens subscripsi.

Titulus V.

De electione Pontificis ad Archiepiscopum Ravennae.

Superscriptio. Domino sanctissimo nobis spirituali Patri, Ill. Archiepiscopo, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, et Ill. Primicerius Notariorum, servantes locum sanctae sedis Apostolicae.

Inter caetera, quae summae divinitatis consilio disponuntur, Pontificalis promotionis sublimitas, ipso, a quo procedit omne bonum, praedestinante ac largiente conceditur. Quod quia ita dubium non est, sanctae et paternae Beatitudini vestrae indicare curavimus, quod Pontificalis memoriae Domino Ill. de praesentibus curis ad aeternam requiem evocato, consueta Dei benignitas tristitiarum molem, quae nos de praeteriti dispensatoris frustratu ad paululum obstrinxerat, abstersit atque inlinivit. Etenim ne diu ictus afflictionis nos sauciaret, providum ac Deo placitum Apostolicae vicis successorem condonare dignata est.

In unum quippe post triduum, ut moris est, convenientibus nobis, id est, Sacerdotibus, et reliquo omni Clero, eminentissimis Consulibus et gloriosis iudicibus, ac Universitate civium et florentis Romani exercitus, in personam amatoris vestri ac oratoris, Domini nostri Ill. sanctissimi huius Apostolicae sedis Ar-

chidiaconi, electionis vota contulimus. In cuius Deo deditae electionis, nullus, gratia Sancti Spiritus illustrante, defuit, sed omnium vota concorditer convenerunt: inque eius sanctitatis persona decreta solemniter facientes, per harum portitores, sanctissimum Episcopum Ill. venerabilem Presbyterum, Ill. Notarium, Ill. Regionarium, Ill. adaeque Subdiaconum Regionarium, Ill. et Ill. Viros honestos cives, et de exercitali gradu, Ill. eminentissimum Consulem, Ill. et Ill. magnificos Tribunos, ad praecelsi et a Deo servati filii vestri Exarchi vestigia demandavimus: impensius obsecrantes, ut celerius, Deo huius animum inspirante, hanc Apostolorum Principis sedem, praesertim pro diversis imminentibus, et ad subventum Provinciae exigentibus, simul et ad Imperiale servitium respicientibus, de perfecta ordinatione Electi Apostolicam sedem adornet, quatenus insit in Apostolicae sedis specula, qui et Christi regat Ecclesiam, gregemque rationabilium salubriter dispenset ovium, et pro stabilitate a Deo decreti Romani Imperii, longaevaque sospitate ac temporum prosperitate praedicti eximii Domini Exarchi indesinenti prece exoret.

Elabora itaque, quaesumus, sanctissime ac beatissime Pater, ut cum harum portitoribus, veneratoribus et filiis vestris, apud praefatum Dominum Exarchum impigrius intervenias, vicem gratiae propriae beato Petro, fautori tuo, reddens, totisque nisibus imminens, ut optatae ordinationis, Deo iubente, acceleretur negotium, quatenus de praesularibus paternae vestrae beatitudinis adminiculis, et haec Apostolica laetetur ac exultet ecclesia, et nos gratiarum actiones agamus, et caritas denominati Domini nostri Electi, futurique Apostolici Pontificis opulentius erga vestram praesularem Sanctitatem dilatetur.

Titulus VI.

De electione Pontificis ad Iudices Ravennae.

Superscriptio. Domino eminentissimo et nobis in Christo fratri, Ill. Consuli, Ill. Archipresbyter, et Ill. Archidiaconus, Ill. Primicerius Notariorum, servantes locum sanctae sedis Apostolicae.

Si benefacta saecularibus impensa negotiis digna minime vicissitudine defraudantur, nullus profecto est, qui dubitet, quin ea, quae pio intuitu peraguntur, aeterna vitae remuneratione rependantur.

Quae cum ita sint, licet inclytae Eminentiae vestrae pro-

positum documentis pluribus agnoscamus, totis nisibus spirituali matri huic sacrosanctae Apostolicae Dei Ecclesiae utilitatibus ad concurrendum suffragari: fraterna tamen dulcedine hortari atque poscere, congruum duximus, ut convenientibus harum portitoribus Ill. et Ill. quos cum decretalibus paginis, et cum impensa supplicatione, pro celeri promotione oratoris vestri, ac amatoris, Domini nostri Ill. Archidiaconi et Electi, apud praecelsum et a Deo servatum Dominum Exarchum destinavimus, cum eis conveniat, et ad precandum Deo optatis apud denominatum Dominum Exarchum subveniat: ut cum effectu, Deo propitio, eis, qui missi sunt, remeantibus, et de vestrae a Deo servatae Eminentiae bonitate prospera praefato Domino nostro Electo nuntiantibus, non solum affectiorem eius Sanctitatem erga vestram Eminentiam efficiant; verum et boni ministerii merces atque vicissitudo ab ipso Apostolorum Principe, cui specialiter concurritis, et in praesenti vita multiplicetur, et in regnis caelestibus rependatur.

Titulus VII.

De electione Pontificis ad Apocrisiarium Ravennae.

Superscriptio. Dilectissimo fratri, Ill. Presbytero et Apocrisiario, Ill. Archipresbyter Ill. Archidiaconus, et Ill. Primicerius Notariorum, servantes locum sanctae sedis Apostolicae.

Dudum dilectissimam fraternitatem vestram obitum sanctae memoriae Domini Ill. agnovisse Pontificis, satis scimus: cui post transitum, ut moris est, die tertia convenientibus nobis, id est, Clero, Axiomaticis etiam, et generalis militiae ac civium Universitate, in personam Domini Ill. sanctissimi Archidiaconi, Dei gratia suffragante, electionis vota contulisse nos, indicamus. Cuius et solemne decretum facientes subscriptione omnium roboratum eximium et a Deo servatum Dominum Exarchum, per harum portitores Ill. et Ill. direximus, cum quibus dilectissima fraternitas vestra conveniat, et pro celeri promotione Pontificalis ordinationis deposcenda apud denominatum Dominum Exarchum interveniat, ut valeant ii, qui missi sunt, Christo comite, cum effectu ad nos repedare, et de prosperis nuntiis Apostolicam Christi Ecclesiam, omniumque nostrum animos magnanimiter relevare.

Titulus VIII.

Ritus ordinandi Pontificis.

Psallunt secundum consuetudinem. Procedit Electus de se-

cretario, cum cereostatis septem, et venit ad confessionem, et post litaniam ascendunt ad sedem, simul Episcopi et Presbyteri. Tunc Episcopus Albanensis dat orationem primam: deinde Episcopus Portuensis dat orationem secundam: postmodum adducuntur Evangelia, et aperiuntur, et tenentur super caput Electi a Diaconibus. Tunc Episcopus Ostiensis consecrat eum Pontificem. Post haec Archidiaconus annectit ei pallium, deinde ascendit ad sedem, et dat pacem omnibus Sacerdotibus, et dicit: *Gloria in excelsis Deo.*

Titulus IX.

Indiculum Pontificis.

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, etc. Indictione Ill. mense Ill. Ego Ill. misericordia Dei *Presbyter,* et Electus, futurusque per Dei gratiam humilis Apostolicae sedis Antistes, tibi profiteor, beate Petre, Apostolorum Princeps, (cui claves regni caelorum ad ligandum atque solvendum in caelo et in terra, creator atque redemptor omnium Dominus Iesus Christus, tradidit, inquiens; *Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis*) sanctaeque tuae Ecclesiae, quam hodie tuo praesidio regendam suscepi.

Hanc verae fidei rectitudinem (quam Christo autore tradente, per successores tuos atque discipulos, usque ad exiguitatem meam perlatam, in tua sancta Ecclesia reperi, totis conatibus meis, usque ad animam et sanguinem custodire, temporumque difficultates, cum tuo adiutorio, toleranter sufferre.)

Tam de sanctae et individuae Trinitatis mysterio, quae unus est Deus; quam de dispensatione, quae secundum carnem facta est, Unigeniti Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, et de caeteris Ecclesiae dogmatibus, sicut in universalibus Conciliis, et Constitutis Apostolicorum Pontificum probatissimorum, atque Doctorum Ecclesiae scriptis sunt commendata; item quaecumque ad rectitudinem vestrae nostraeque orthodoxae fidei, a te traditae, respiciunt, conservare.

Sancta quoque universalia Concilia, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Calchedonense, et secundum Constantinopolitanum, quod Iustiniani piae memoriae Principis temporibus celebratum est, usque ad unum apicem, immutilata servare.

Et una cum eis pari honore et veneratione sanctum sextum

Concilium, quod nuper Constantino piae memoriae Principe, Agathone, Apostolico praedecessore meo, convenit, medullitus et plenius conservare, quaeque vero praedicaverunt, praedicare; quaeque condemnaverunt, ore et corde condemnare.

Diligentius autem et vivacius omnia decreta praedecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quaeque synodaliter statuerunt, et probata sunt, confirmare, et indiminute servare et sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire: quaeque vel quosque simili autoritatis sententia condemnaverunt, vel abdicaverunt, simili autoritatis sententia condemnare.

Disciplinam et ritum Ecclesiae, sicut inveni, et a sanctis praedecessoribus meis traditum reperi, inlibatum custodire.

Et indiminutas res Ecclesiae conservare, et ut indiminutae custodiantur, operam dare.

Nihil de Traditione, quod a probatissimis praedecessoribus meis servatum reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer, ut vere eorum discipulus et sequipeda, totis viribus meis conatibusque tradita conservare ac venerari.

Si qua vero emerserint contra disciplinam canonicam, emendare; sacrosque Canones et Constituta Pontificum nostrorum, ut divina et caelestia mandata, custodire, utpote tibi redditurum me sciens de omnibus, quae profiteor, districtam in divino iudicio rationem, cuius locum divina dignatione perago, et vicem intercessionibus tuis adiutus impleo.

Si praeter haec aliquid agere praesumpsero, vel ut praesumatur, permisero, eris mihi, in illa terribili die divini iudicii, depropitius.

Haec conanti, et diligenter servare curanti, in hac vita corruptibili constituto, adiutorium quoque ut praebeas obsecro, ut irreprehensibilis appaream ante conspectum iudicis omnium, Domini nostri Iesu Christi, dum terribiliter de commissis advenerit iudicare, ut faciat me dextrae partis compotem, et inter fideles discipulos ac successores tuos esse consortem.

Quam professionem meam, ut supra continetur, per Ill. Notarium et Scriniarium me mandante conscriptam, propria manu subscripsi, et tibi, beate Petre Apostole, et Apostolorum omnium Princeps, pura mente et conscientia devota, corporali iureiurando sinceriter obtuli.

Subscriptio. Ego, qui supra Ill. indignus *Presbyter* Dei gratia electus huius Apostolicae sedis Romanae Ecclesiae

Episcopus, hanc professionem meam, sicut supra continet, faciens iusiurandum corporaliter, tibi, beate Petre, Apostolorum Princeps, pura mente et conscientia obtuli.

(Sequebantur secunda et tertia fidei professio, priori similes, quas omittendas esse duxi).

V. Concilium Germanicum a. 742 *).

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego Carlmannus, dux et princeps Francorum anno ab incarnatione Christi septimgentissimo 42, 11. Kalendas Maias, cum consilio servorum Dei et optimatum meorum, episcopos qui in regno meo sunt, cum presbyteris, et concilium et synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium archiepiscopum, et Burchardum, et Regenfridum, et Hwitanum, et Vuillabaldum, et Dadanum, et Eddanum, cum presbiteris eorum, ut mihi consilium dedissent quomodo lex Dei et aecclesiastica relegio recuperetur, quae in diebus praeteritorum principum dissipata corruit, et qualiter populus christianus ad salutem animae pervenire possit, et per falsos sacerdotes deceptus non pereat; et per consilium sacerdotum et optimatum meorum ordinavimus per civitates episcopos, et constituimus super eos archiepiscopum Bonifatium, qui est missus Sancti Petri. Statuimus per annos singulos synodum congregare, ut nobis praesentibus canonum decreta et aecclesiae iura restaurentur, et relegio christiana emendetur. Et fraudatas pecunias ecclesiarum ecclesiis restituimus. Falsos presbiteros et adulteros vel fornicatores diaconos et clericos, de pecuniis ecclesiarum abstulimus et degradavimus, et ad poenitentiam coegimus.

II. Servi Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere, omnino prohibuimus, nisi illi tantummodo qui propter divinum mysterium, missarum scilicet solemnia adinplenda, et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est, unum vel duos episcopos cum capellanis praesbiteris princeps secum habeat, et

---

*) Huius concilii convocandi, ut alia monumenta testantur, Carlmannus rex apud S. Bonifacium auctor fuit, et in statutis eius condendis regiaque auctoritate promulgandis, more illius saeculi, plurimum valuit. Textum ope librorum manuscriptorum puriorem exhibuit Pertz Legum Tom. I. p. 16., quem secutus sum. Caeterum vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 90. not. 12.

unusquisque praefectus unum presbiterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare et indicare poenitentiam possit. Necnon et illas venationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus. Similiter ut acceptores et walcones non habeant.

III. Decrevimus quoque iuxta sanctorum canones, ut unusquisque presbiter in barrochia habitans episcopo subiectus sit illi in cuius barrochia habitet; et semper in quadragissima rationem et ordinem ministerii sui, sive de babtismo, sive de fide catholica, sivi de precibus et ordine missarum episcopo reddat et ostendat. Et quandocumque iure canonico episcopus circumeat parrochiam populos ad confirmandos, presbiter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum, cum collectione et adiutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in cena Domini semper novum crisma ab episcopo quaerat, ut episcopum testis adsistat castitatis, et vitae et fidei et doctrinae illius.

IV. Statuimus ut secundum canonicam cautellam, omnes undecumque supervenientes ignotos episcopos vel presbiteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus.

V. Decrevimus ut secundum canones unusquisque episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante gravione qui defensor ecclesiae est, ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abiiciat et respuat; sive sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive filacteria et auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum, Deum et suos sanctos ad iracundiam provocantes; sive illos sacrilegos ignes, quos *nied fyr* vocant, sive omnes, quaecumque sunt, paganorum observationes diligenter prohibeant.

VI. Statuimus similiter ut post hanc synodum, quae fuit 11. Kalendas Maias, ut quisquis servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, quod in carcere poenitentiam faciat in pane et aqua. Et si ordinatus presbiter fuisset, duos annos in carcere permaneat, et antea flagellatus et scorticatus videatur, et post episcopus adaugeat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam ververationem in carcerem missus, vertentem annum ibi paenitentiam agat. Similiter et nonnae velatae eadem paenitentia conteneantur, et radantur omnes capilli capitis eius.

VII. Decrevimus quoque ut presbiteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei. Et nullus in sua domu mulierem habitare permittat. Et ut monachi et ancillae Dei monasteriales iuxta regulam sancti Benedicti ordinare et vivere, vitam propriam gubernare studeant.

VI. Regula Chrodogangi episcopi Metensis*).

Incipit Prologus.

Temporibus piissimi ac serenissimi regis Pippini, Chrodogangus servus servorum Dei, Metensis urbis episcopus**).

Si trecentorum decem et octo reliquorumque sanctorum patrum canonum auctoritas perduraret, et clerus atque episcopus secundum eorum rectitudinis normam viverent, superfluum videretur a nobis exiguis minimisque, super hac re tam ordinate disposita aliquid retractari [1]), et quasi quidem novi aliquid dici: sed dum pastorum, subditorumque negligentia et his temporibus nimium crevit, quid aliud agendum nobis est, qui in tam gravi discrimine venimus, nisi ut quantum possumus, si non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inspirante, clerum nostrum reducamus?

Igitur quamvis indignus adeptam huius sedis pontificalem cathedram, cumque officii mei pastoralis curam invigilare coepissem, et in tantam negligentiam clerum plebemque devenisse conspicerem, coepi moestus conqueri [2]), quid agere deberem: sed divino fultus auxilio, fratrumque spiritualium consolatione adiutus [3]), volui necessitate compulsus parvum decretulum facere, per quod se clerus ab illicitis coërceat, vitiosa deponat, mala diu longeque usurpata derelinquat; ut dum mens ab assuetis vitiis vacuatur, facilius quae bona optimaque sunt [4]) inserantur.

Scripturis enim sacris nitentes [5]) decernimus, ut omnes sint unanimes, officiis divinis lectionibusque sacris assidui, atque ad obedientiam episcopi sui praepositique, ut ordo canonicus deposcit, parati, caritate connexi, zelo bono ferventissimi [6]), amore

---

*) Circa annum 760 composita est. Dedi eam ex editione Harduini in eius Act. Concil. IV. 1181. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 140.

**) *Variae lectiones sumuntur ex editione domini Lucae Dacherii, tomo 1. Spicilegii.* 1) *al.* retractare aut dicere. 2) *Forte,* conquirere. 3) *al.* atque recuperatione provocatus. 4) *al.* bona et optima quaeque sunt. 5) *al.* intenti. 6) *al.* ferventissimoque amore.

coniuncti, a litibus vel scandalis seu odio semoti. Pastor eorum quilibet fuerit, non solum de carnalibus, sed etiam de spiritualibus curam gerat: et in utraque parte sagacissimam sollicitudinem, in quo facultas fuerit, habeat: ut et vitia reprimat, et ea radicitus, ut oriri coeperint, ut praevalet, amputare festinet; et quod usibus humanis, iuxta formam subter dispositam, necessarium fuerit, eis praebere audeat. Ut cum pastor pastorum iudexque vivorum et mortuorum Christus in ultimo tremendoque die in sede maiestatis suae disceptaturus cum omnibus gentibus sederit, et omnis clerus cum relevata facie conspexerit; et si non cum summis pastoribus et gregibus sibi commissis pro dispensatis talentis multiplicatisque spiritualibus lucris, audire merebimur: *Euge serve bone et fidelis:* vel saltem hoc concedatur, ut delictorum venia ad integrum tribuatur. Quia manifestum est, quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, regni introitus non negatur: quia nec infelix potest iudicari, qui contigerit qualemcumque partem in paradiso habere. Sed illis ibidem sors datur, qui in quantum possunt per vitae meritum ad hoc in huius temporis curriculo, dum licet, currere festinant.

Intendamus ergo ad hoc animum quantum possumus; quia non possumus quantum debemus: et vita nostra ad tempus amarescat in poenitentia; ne ultio divina, quae nunc mitis est et exspectat, post saeviat ad vindictam.

Explicit Prologus.

Incipit regula Chrodogangi Metensis episcopi *).

Cap. I. *De humilitate.*

Clamat nobis scriptura divina: *Omnis qui se exaltat humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur* (Luc. 14). Et, quantum enim humilior fueris, tantum te sequitur gloriae altitudo. Et, *quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (Iac. 4). Omnisque arrogans immundus est coram Domino (Prov. 16). Quemcumque enim superbum videris, filium diaboli esse non dubites: et quem[1]) humilem perspexeris, Dei filium esse omnino

---

*) *Ex Mss. Vaticano, Andeg. et Fiscan. et apographo Sirmondi. Exstat et alia brevior, sed interpolata, in Annal. Eccles. Franc. ad annum* 757. *Alia rursum aliquantum discrepans ab utraque, tomo* 1. *Spicilegii Dacheriani.* 1) *al.* quemcumque.

credere debes. De multis enim pauca perstrinximus, ut animos vestros ad morem humilitatis provocemus, et a detestabili inimicaque Deo superbia retrahamus [1]). Nam dum omne genus humanum Christianorum, atque omne vulgus humilitatem habere conveniat; nimis iniquum pessimumque ac detestabile est, ut qui servitio Dei pecularius se iunxerunt, humilitatem derelinquant, et superbiae, vel diabolicae tyrannidi se socient [2]). Idcirco necesse est, ut qui suadente diabolo usque nunc superbus atque elatus vultu [3]) vivit; inantea Deo auxiliante, per humilitatem atque caritatem vel obedientiam, seu per aliqua bona Dei praecepta, resurgat; quia multo melius est per humilitatem cum Christo in caelestibus regnare, quam cum diabolo per superbiam in inferno cum reliquis contemptoribus demergi.

Cap. II. *De ordine canonicorum.*

EPISCOPIS, MONACHIS, VIRGINIBUS.

LII. Item eiusdem, ut monachi et virgines suum propositum omnimodis observent.

Siric. c. 6. Praeterea Monachorum quosdam atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantum protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum praetextu, inlicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti, de inlicitis complexibus libere filios procrearint: quod et publicae leges et ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusae in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint poenitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiae intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

OMNIBUS.

LIII. In decretalibus Innocenti papae, ut pax detur ab omnibus, confectis Christi sacramentis.

Innocent. cap. 1. Pacem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quae aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia quae in mysteriis aguntur atque in Ecclesia celebrantur praebuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

SACERDOTIBUS.

LIV. Item eiusdem, ut nomina puplice non recitentur ante precem sacerdotalem.

Innocent. cap. 2. De nominibus vero recitandis antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse pro tua prudentia recognoscis; ut cuius hostiam necdum Deo offeras, eius nomen ante insinues, quamvis incognitum illi nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ac tunc eorum nomina quorum oblationes sunt edicenda; ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quae ante praemittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

EPISCOPIS, SACERDOTIBUS.

LV. In decretis Celestini Papae, ut nulli sacerdotum liceat ignorare sanctorum canonum instituta.

Celestin. c. 20. Nulli Sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?

EPISCOPIS.

LVI. In decretis Leonis papae, sicut et in Sardicense concilio, ut episcopi alterius clericum ad se non sollicitent, nec ordinent.

Leo, c. 39. Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis iniuriae reus est qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius, audet vel allicere vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam Clericum ad Ecclesiam suam Metropolitanus redire compellat. Si autem longius recessit, tui praecepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati nec ambitioni occasio relinquatur.

EPISCOPIS.

LVII. Item eiusdem, ut nullus episcopus servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere praesumat. Et hoc Gangarense concilium prohibet.

Conc. Gangr. can. 3. Si quis servum occasione religionis doceat dominum suum contemnere et eius ministerium deserere, ac non potius docuerit eum domino suo bona fide et cum omni honorificentia deservire, anathema sit.

EPISCOPIS.

LVIII. Item eiusdem, ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia praesumptiose agat, et corrigi nolens, ab officio suo submoveatur.

Leo, c. 5. Haec itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra haec constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostrae futurum esse consortem qui socius esse non voluit disciplinae. Ne quid vero sit quod praetermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatae recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

EPISCOPIS.

LIX. In decretis Gelasii papae, ut nullus episcopus viduas velare praesumat.

Gelasius c. 23. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet: quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma praestituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic ecclesiastica sunt inferenda praesidia, ut nihil committatur inlicitum.

EPISCOPIS.

Haec enim, dilectissimi, pio studio et magna dilectionis intentione vestram unianimitatem ammonere studuimus, quae magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum canonicis institutis inhaerentes, praemia cum illis aeternae felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriantur qui praesumptiose contra statuta universalium conciliorum venire audeant. Quapropter et vos diligentius ammonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis iudicium vobis cavere studeatis, sed magis canonica instituta sequentes, et pacifica unitate nitentes, ad aeterna pacis gaudia venire digni efficiamini. Sunt quoque aliqua capitula quae nobis utilia huic praecedenti ammonitione subiungere visa sunt.

OMNIBUS.

LX. Primo omnium, ut fides catholica ab episcopis, presbyteris, diligenter legatur, et omni populo praedicetur; quia hoc primum praeceptum est Domini Dei omnipotentis in lege: *Audi, Israel, quia Dominus Deus tuus Deus unus est.* Et ut ille

diligatur ex toto corde, et ex tota mente, et ex tota anima, et ex tota virtute nostra.

OMNIBUS.

LXI. Ut pax sit et concordia et unianimitas cum omni populo christiano, inter episcopos, abbates, comites, iudices, et omnes ubique seu maiores seu minores personas; quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctae oblationis ad altare, sicut in evangelio ipso Domino praecipiente legimus; quia et illud secundum mandatum est in lege: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Item in evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim praecepto discernuntur filii Dei et filii diaboli; quia filii diaboli semper dissensiones et discordias movere satagunt: filii autem Dei semper paci et dilectioni student.

OMNIBUS.

LXII. Ut quibus data est potestas iudicandi, iuste iudicent, sicut scriptum est: *Iuste iudicate, filii hominum.* Non in muneribus, quia munera excecant corda prudentium, et subvertunt verba iustorum. Non in adolatione, nec in consideratione personae, sicut in deuteronomio dictum est: *Quod iustum est iudicate. Sive cives sit ille, sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei iudicium est.* Primo namque iudici diligenter discenda est lex a sapientibus populo composita, ne per ignorantiam a via veritatis erret. Et dum ille rectum intellegat iudicium, caveat ne declinet, aut per adolationem aliquorum, aut per amorem cuiuslibet amici, aut per timorem alicuius potentis, aut propter praemium, a recto iudicio declinet; et honestum nobis videtur, ut iudices ieiuni causas audiant et discernant.

OMNIBUS.

LXIII. Item habemus in lege, Domino praecipiente: *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen domini Dei tui in vanum.* Ideo omnino ammonendi sunt omnes diligenter, ut caveant periurium, non solum in sancto evangelio, vel in altare, seu in sanctorum reliquiis, sed et in communi loquella; quia sunt aliqui qui per caritatem et veritatem iurant, et caveant se a iuramento nominis Dei, et nesciunt quia idem Deus quod est caritas et veritas, dicente

Ioanne apostolo, quia *Deus caritas est.* Item ipse Dominus in evangelio: *Ego sum via et veritas.* Ideo qui in veritate iurat, in Deo iurat. Item cavendum est ne farisaïca superstitione aliquis plus aurum honoret quam altare; ne dicat ei Dominus: *Stulte et caecè, quid est maius, aurum an altare quod sanctificat aurum?* Sed et nobis honestum videtur, ut qui in sanctis habeat iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honestate et timore Dei. Et sciat se rationem redditurum Deo uniuscuiusque iuramenti, ubicumque sit, sive intra aecclesiam, sive extra aecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare, sicut Guntbodigni faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit posthaec, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius iurator existat.

OMNIBUS.

LXIV. Item habemus in lege Domini mandatum: *Non auguriamini;* et in deuteronomio: *Nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat.* Item: *Ne sit maleficus, nec incantator, nec pithones consultor.* Ideo praecipimus ut cauculatores nec incantatores, nec tempestarii vel obligatores non fiant; et ubicumque sunt, emendentur, vel damnentur. Item de arboribus vel petris vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus et Deo execrabilis, ubicunque inveniatur, tollatur et distruatur.

OMNIBUS.

LXV. Item praedicari necesse est, quantum malum sit odium vel invidia; quia in lege scriptum est: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum.* Item Ioannes Evangelista: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Item in evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum:* et caetera quae ibi leguntur. De avaritia autem apostolum legimus dicentem: *Avaritia, quae est idolorum servitus,* cavenda est. De concupiscentia vero legitur, quod radix sit omnium malorum. Et in lege: *Non concupisces rem proximi tui.*

EPISCOPIS, OMNIBUS.

LXVI. Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege domini interdictum est, nec causa ultionis nec avaritiae nec latrocinandi non fiant. Et ubicumque inventa fuerint, a iudicibus

nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur. Et non occidatur homo, nisi lege iubente.

OMNIBUS.

LXVII. Item et furta et iniusta conubia, necnon et falsa testimonia, sicut saepe rogavimus, prohibete diligenter, sicut et lex Domini prohibet.

OMNIBUS.

LXVIII. Et hoc cum magno studio ammonete, ut filii honorent parentes suos; quia ipse Dominus dicit: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

SACERDOTIBUS.

LXIX. Ut episcopi diligenter discutiant per suas parochias praesbiteros, eorum fidem, baptisma, et missarum celebrationes, ut et fidem rectam teneant, et baptisma catholicum observent, et missarum praeces bene intellegant, et ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, et dominicam orationem ipsi intellegant, et omnibus praedicent intellegendam, ut quisque sciat quid petat a Deo: et ut *Gloria Patri* cum omni honore apud omnes cantetur; et ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei communi voce *Sanctus, Sanctus, Sanctus* decantet. Et omnimodis dicendum est presbiteris et diaconibus ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei quam in armis.

ALIQUID SACERDOS, ALIQUID POPULUS.

LXX. Item placuit nobis ammonere reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat per suam parrochiam ut ecclesia Dei suum habeat honorem, simul et altaria secundum suam dignitatem venerentur, et non sit domus Dei et altaria sacrata pervia canibus, et ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, et ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligentur qui digni sunt, vel cum honore serventur; et ut secularia negotia vel vaniloquia in ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum; et ut intentos habeant animos ad Deum quando veniunt ad missarum solempnia, et ut non exeant ante conpletionem benedictionis sacerdotalis.

SACERDOTIBUS.

LXXI. Sed et hoc flagitamus vestram almitatem, ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu et alii canonici observantiae ordinis, vel monachici propositi congregationes obsecramus, ut bonam et probabilem habeant conversationem, sicut ipse Dominus in evangelio praecipit: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in celis est;* ut eorum bona conversatione multi pertrahantur ad servitium Dei. Et non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios adgregant sibique sociant. Et ut scolae legentium puerorum fiant. Psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia, et libros catholicos bene emendatos; quia saepe dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros vestros non sinite eos vel legendo vel scribendo corrumpere. Et si opus est evangelium vel psalterium et missale scribere, perfectae aetatis homines scribant cum omni diligentia.

SACERDOTIBUS.

LXXII. Simul et hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque qui se voto monachicae vitae contrinxerunt, monachice et regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est: *Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum: *Melius est non vovere, quam non reddere.* Et ut ad monasteria venientes, secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur, et sic accipiantur. Et qui ex seculari habitu in monasterio veniunt, non statim foras ad ministeria monasterii mittantur antequam intus bene erudiantur. Et ut monachi ad saecularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis vivant, et episcopus eorum regat vitam, sicut abbas, monachorum.

OMNIBUS.

LXXIII. Ut aequales mensuras et rectas, et pondera iusta et aequalia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum in illis sive ad accipiendum, sicut et in lege Domini praeceptum habemus. Item in Salomone, Domino dicente: *Pondus et pondus, mensuram et mensuram odit anima mea.*

OMNIBUS.

LXXIV. Et hoc nobis conpetens et venerabile videtur, ut hospites, peregrini, et pauperes susceptiones regulares et canonicas per loca diversa habeant: quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: *Hospes eram, et suscepistis me.* Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit: *Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio suceptis.*

EPISCOPIS, ABBATIBUS.

LXXV. Auditum est aliquas abbatissas, contra morem sanctae Dei aecclesiae, benedictiones cum manus impositione et signaculo sanctae crucis super capita virorum dare, necnon et velare virgines cum benedictione sacerdotali. Quod omnino vobis, sanctissimi patres, in vestris parrochiis interdicendum esse scitote.

CLERICIS.

LXXVI. Ut illi clerici qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse, et non sunt, omnimodis videtur corrigendos atque emendandos esse, ut vel veri monachi sint, vel veri canonici sint.

OMNIBUS.

LXXVII. Item et pseudografia et dubiae narrationes, vel quae omnino contra fidem catholicam sunt, et epistula pessima et falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes et in errorem alios mittentes quod de celo cecidisset, nec credantur nec legantur, sed comburentur, ne in errorem per talia scripta populos mittatur. Sed soli canonici libri et catholici tractatus et sanctorum auctorum dicta legantur, et tradantur.

ALIQUID SACERDOTIBUS, ALIQUID OMNIBUS.

LXXVIII. Item ut isti mangones et cotiones qui sine omni lege vagabundi vadunt per istam terram, non sinantur vagare et deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi poenitentia ire vagantes. Melius videtur, si aliquid inconsuetum et capitale crimen conmiserint, ut in uno loco permaneant laborantes et servientes, et paenitentiam agentes secundum quod sibi canonice inpositum sit.

OMNI CLERO.

LXXIX. Cantum Romanum pleniter discant, et ordinabili-

ter per nocturnale vel gradale officium peragatur, secundum quod beatae memoriae genitor noster Pippinus Rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit ob unanimitatem apostolicae sedis, et sanctae Dei aecclesiae pacificam concordiam.

EPISCOPIS, OMNIBUS.

LXXX. Statuimus quoque, secundum quod et in lege Dominus praecipit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut et bonae memoriae genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia opera exerceant, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, metendo, vel foenum secando, vel sepem ponendo, nec in silvis stirpare, vel arbores caedere, vel in petris laborare, nec domos construere; nec in orto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Et tria carraria opera licet fieri in die dominico; id est, ostilia carra, vel victualia, vel si forte necesse erit corpus cuiuslibet ducere ad sepulchrum. Item feminae opera textrilia non faciant, nec capulent vestitos, nec consuent, vel acupictile faciant; nec lanam carpere, nec linum battare, nec in publico vestimenta lavare, nec berbices tundere habeant licitum; ut omnimodis honor et requies diei dominicae servetur. Sed ad missarum sollempnia ad aeclesiam undique conveniant, et laudent Deum in omnibus bonis quae nobis in illa die fecit.

OMNIBUS.

LXXXI. Sed et vestrum videndum est, dilectissimi et venerabiles pastores et rectores aeclesiarum Dei, ut presbiteros quos mittitis per parrochias vestras ad regendum, et ad praedicandum per aeclesias populum Deo servientem, ut recte et honeste praedicent; et non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu, et non secundum scripturas sacras, fingere et praedicare populo. Sed et vosmetipsi utilia honesta et recta, et quae ad vitam ducunt aeternam, praedicate, aliosque instruite ut haec eadem praedicent.

Primo omnium praedicandum est omnibus generaliter ut credant Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, qui creavit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, et unam esse deitatem, substantiam, et maiestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti.

Item praedicandum est quomodo Dei filius incarnatus est de Spiritu sancto et ex Maria semper virgine pro salute et reparatione humani generis, passus, sepultus, et tertia die resurrexit, et ascendit in celis; et quomodo iterum venturus sit in maiestate divina iudicare omnes homines secundum merita propria; et quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem aeternum mittentur, et iusti cum Christo et cum sanctis angelis suis in vitam aeternam.

Item diligenter praedicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant et credant in isdem corporibus premia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis praedicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabulo in aeternum supplicium. Legimus enim, Apostolo dicente: *Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxoria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ideo haec eadem quae magnus praedicator aeclesiae Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur, intellegentes quam sit terribile illud quod dixit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Sed omni instantia ammonete eos de dilectione Dei et proximi, de fide et spe in Deo, de humilitate et patientia, de castitate et continentia, de benignitate et misericordia, de elimosinis et confessione peccatorum suorum, et ut debitoribus suis, secundum orationem dominicam, debita sua dimittant: scientes certissime quod qui talia agunt, regnum Dei possidebunt.

Et hoc ideo diligentius iniungimus vestrae caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in evangelio praedixit, et Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo, dilectissimi, toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, et divina donante gratia verbum Dei crescat et currat et multiplicetur in profectum sanctae Dei aeclesiae, et salutem animarum nostrarum, et laudem et gloriam nominis domini nostri Iesu Christi. Pax praedicantibus, gratia oboedientibus, gloria domino nostro Iesu Christo. Amen.

Anno dominicae incarnationis DCCLXXXIX, indictione XII, anno XXI. regni nostri, actum est huius legationis edictum in

Aquis palatio publico. Data est haec charta die X. Kalendas Aprelis *).

VIII. Concordatum Wormatiense a. 1122 **).

Privilegium Calixti pape secundi.

Ego Calixtus episcopus servus servorum Dei, tibi dilecto filio H. Dei gratia Romanorum imperatori augusto, concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in presentia tua fieri, absque symonia, et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium prebeas. Electus autem regalia, absque omni exactione, per sceptrum a te recipiat, et que ex his iure tibi debet faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus, infra sex menses, regalia absque omni exactione per sceptrum a te recipiat, et que ex his iure tibi debet faciat. Exceptis omnibus que ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris, et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi prestabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore huius discordiae.

Preceptum Heinrici quarti imperatoris.

In nomine sanctae et individue Trinitatis. Ego Heinricus Romanorum imperator augustus, pro amore Dei, et sancte Romanae ecclesiae, et domni pape Calixti, et pro remedio animae meae, dimitto Deo, et sanctis Dei apostolis Petro et Paulo, sanctaeque catholicae ecclesiae, omnem investituram per anulum, et baculum, et concedo, in omnibus ecclesiis que in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, et liberam consecrationem. Possessiones, et regalia beati Petri que a principio huius dis-

---

*) *In uno codice haec antiquissima precandi formula subiicitur:* Truhtin gŏd thu mir hilp. indi forgip mir gauuitzi. indi gŏdan galaupun. thina minna indi rehtan uuilleon heili indi gasunti. indi thina guodunhuldi. id est: Dominus Deus tu mihi adiuva. et perdona mihi sapientiam. et bonam credulitatem tuam. dilectionem et bonam voluntatem. sanitatem et prosperitatem. et bonam gratiam tuam.

**) Dedi ex optima recensione apud Pertz Leg. Tom. II. p. 75. 76. Caeterum vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 108.

cordie, usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, que habeo, eidem sanctae Romanae ecclesiae restituo, que autem non habeo, ut restituantur fideliter iuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum, et principum, et aliorum tam clericorum, quam laycorum, que in guerra ista ammisse sunt, consilio principum, vel iustitia, que habeo reddam, que autem non habeo, ut restituantur fideliter iuvabo. Et do ueram pacem domino papae Calixto, sanctaeque Romanae ecclesiae, et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana ecclesia mihi auxilium postulaverit, fideliter iuvabo; et de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam iustitiam. Haec omnia acta sunt consensu, et consilio principum, quorum nomina subscripta sunt; Adelbertus archiepiscopus Moguntinus. Fridericus, Coloniensis archiepiscopus. Bruno Treverensis archiepiscopus. H. Ratisbonensis episcopus. O. Babenbergensis episcopus. Bruno Spirensis episcopus. H. Augustensis episcopus. G. Traiectensis episcopus. Ou. Constantiensis episcopus. Herdolfus abbas Vuldensis. H. dux. Fridericus dux. S. dux. Bertolfus dux. Marchio Diepoldus. Marchio Engelbertus. Godefridus palatinus comes. O. palatinus comes. Berlingarius comes.

IX. Friderici II. promissio a. 1213 *).

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, et rex Syciliae. Regnum nostrum tunc stabiliri credimus et confidimus, cum Altissimum, de cuius manu ea quae possidemus bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis et devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis et mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam quae data est nobis ab ipso, habentes quoque pre oculis inmensa et innumera beneficia vestra carissime domine et reverentissime pater, protector et benefactor noster domine Innocenti, Dei gratia summe pontifex venerande per cuius benefitium operam et tutelam aliti sumus protecti pariter ac promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra felicis memoriae Constantia imperatrix ex ipso quasi utero nos iactavit, vobis beatissime pater, et omnibus ca-

*) Ex editione apud Pertz Leg. Tom. II. p. 224. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 108.

tholicis successoribus vestris, sancteque Romanae ecclesiae spetiali matri nostrae, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam, semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam predecessores nostri reges et imperatores catholici, vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nichil ex his volentes diminui, set magis augeri, ut nostra devotio magis enitescat. Illum igitur abusum volentes abolere, quem interdum quidam praedecessorum nostrorum exercuisse dinoscuntur, et dicuntur, in electionibus prelatorum, concedimus et sanccimus, ut electiones prelatorum libere fiant, et canonice, quatenus ille prefitiatur aecclesiae viduatae, quem totum capitulum vel maior et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nichil obstet ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis et causis ecclesiasticis, ad sedem apostolicam libere fiant, earum prosecutionem sive processum nullus impedire presumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prelatorum aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriae voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatis relinquimus libere disponenda, ut quae sunt Cesaris Cesari, et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hereticae pravitatis errore, auxilium dabimus et operam efficacem. Possessiones etiam quas aecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas sibi dimittimus, ipsamque ad eas obtinendas bona fide promittimus adiuvare. Quas autem nondum recuperaverit, ad recuperandum pro viribus erimus coadiutores. Et quaecumque ad manus nostras devenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quae est a Radicophano usque Zeperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissae Mahtildis, comitatus Brittenorii, exarcatus Ravennae, Pentapolis, cum aliis adiacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum et regum, a tempore Ludowici, ut eas habeat Romana aecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione, districtu, et honore suo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus aecclesiae ab apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi pontificis, recipiemus procurationes sive fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad rettinendum et deffendendum Romanae aecclesiae regnum Syciliae ac cetera iura quae ad ipsam pertinere dinoscuntur, tamquam devotus filius, et catholicus princeps. Ut autem

haec omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio, sacrosanctae Romanae aecclesiae summo pontifici, vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores observentur, firmaque et inconvulsa semper permaneant, presens privilegium conscriptum maiestatis nostrae aurea bulla iussimus communiri. Testes autem hii sunt. Sigefridus Moguntinae sedis arciepiscopus apostolicae sedis legatus. Eberhardus Salzburgensis arciepiscopus, Berardus Barensis arciepiscopus, Chuonradus Ratisponensis episcopus, Otto Wirzinburgensis episcopus, Manegoldus Pattaviensis episcopus, Engelhardus Zizensis episcopus, Odacrius Boemorum rex, Lodwicus dux Bawariae, Liupoldus dux Austriae et Styriae, Hermannus lantgravius Thuringiae, comes Albertus de Eberstein, comes Adolfus de Sowenburc, comes Burchardus de Mannesveld, comes Gerhardus de Diets, comes Ludwicus de Wirtemberch, Gebehardus burcravius Meigdeburgensis, Hainricus de Stahhelburch, Waltherus de Langenberch, Heinricus de Chalandrino, marescalcus imperii, Waltherus de Sypf, pincerna imperii, Gwaltherus Gentilis, comestabulus regni Sycilie; et alii quam plures.

Signum domini Frederici secundi Romanorum regis invictissimi (L. M.) et regis Syciliae.

Ego Chuonradus Dei et apostolicae sedis gratia Metensis episcopus, vice domini Sigefridi, Moguntini arciepiscopi et apostolicae sedis legati, ac totius Germaniae arcicancellarii, recognovi.

Acta sunt haec anno domini nostri Iesu Christi 1213, indictione prima, regnante domino Frederico secundo Romanorum rege glorioso et rege Sicilie, anno regni eius Romani primo, Siciliae vero 16.

Datum apud Egram per manus Bertoldi de Niffen, regalis aulae prothonotarii, quarto Idus Iulii.

X. Friderici II. confoederatio cum principibus ecclesiasticis a. 1220 *).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie,

---

*) Ex editione apud Pertz Legum T. II. p. 236. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 108.

omnibus in perpetuum. Digna recolentes animadversione, quanta efficacia et fide dilecti fideles nostri principes ecclesiastici nobis hactenus astiterunt, ad culmen imperii nos promovendo, promotos in ipso firmando, et demum filium nostrum Heinricum in regem sibi et dominum benivole atque concorditer eligendo; censuimus, eos per quos promoti sumus, semper promovendos, et per quos firmati sumus, una cum ipsorum ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia queque firmandos.

Igitur quia in eorum gravamina quedam consuetudines, et ut verius dicamus abusiones, ex longa perturbatione imperii, que per Dei gratiam nunc quievit et quiescit, inoleverant, in novis theloneis, in monetis, que se invicem ex similitudinibus ymaginum destruere consueverant, in guerris advocatorum, et aliis malis quorum non est numerus; statutis quibusdam, eisdem abusionibus obviamus.

1. Primo promittentes, quod numquam deinceps in morte cuiusquam principis ecclesiastici reliquias suas fisco vendicabimus. Inhibentes etiam, ne laicus quisquam aliquo pretextu sibi eas vendicet, set cedant successori, si antecessor intestatus decesserit. Cuius testamentum, si quod inde fecerit, volumus esse ratum. [Si quis vero contra hanc constitucionem reliquias sibi vendicare presumpserit, proscriptus et exlex habeatur, et feodo sive beneficio, si quod habet, permaneat destitutus.]

2. Item nova thelonea et novas monetas in ipsorum territoriis sive iurisdictionibus, eis inconsultis seu nolentibus non statuemus de cetero; set antiqua thelonea et iura monetarum eorum ecclesiis concessa, inconvulsa et firma conservabimus, et tuebimur; nec ipsi ea infringemus, nec ab aliis ledi permittemus modis aliquibus, utpote monete turbari et vilificari solent similitudinibus ymaginum, quod penitus prohibemus.

3. Item homines, quocumque genere servitutis ipsis attinentes, quacumque causa se ab eorum obsequiis alienaverint, in nostris civitatibus non recipiemus, in eorum preiudicium; et idem ab ipsis inter se, eisque a laicis omnibus, inviolabiliter volumus observari.

4. Item statuimus, ne quis ecclesiam aliquam in bonis suis dampnificet occasione advocatie eorumdem bonorum; sed si dampnificaverit, dampnum in duplo restituat, et centum marcas argenti camere nostre solvat.

5. Item si aliquis eorum vasallum suum, qui eum forte offendit, iure feodali convenerit, et sic feodum evicerit, illud suis

usibus tuebimur; et si ipse feodum de bona et liberali sua voluntate nobis conferre voluerit, recipiemus, amore vel odio non obstante. Quocumque autem modo, sive etiam ex morte infeodati, principi ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria, immo violentia, nullatenus invademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione sua poterimus optinere; set cum effectu suis usibus studebimus defensare.

6. Item, sicut iustum est, excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce, vel per litteras eorum, vel per honestos nuntios fide dignos nobis denuntiati fuerint, vitabimus; et nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in iudicio: sic distinguentes, quod excommunicatio non eximat eos a respondendo impetentibus, set sine advocatis; perimat autem in eis ius et potestatem ferendi sententias et testimonia, et alios impetendi.

7. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritalis, excommunicationem, si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse, predictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequetur; non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur.

8. Sic utique, aliisque modis omnibus, iusto videlicet et efficaci iudicio, ipsis prodesse atque preesse firmiter compromissimus, et ipsi versa vice fide data promiserunt, quod contra omnem hominem, qui tali nostro iudicio ipsis exhibendo violenter restiterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

9. Item constituimus, ut nulla edificia, castra videlicet seu civitates, in fundis ecclesiarum, vel occasione advocacie, vel aliquo quoquam pretextu, construantur; et si qua forte sunt constructa contra voluntatem eorum quibus fundi attinent, diruantur regia potestate.

10. Item inhibemus, ad imitationem avi nostri felicis memorie imperatoris Friderici, ne quis officialium nostrorum in civitatibus eorumdem principum iurisdictionem aliquam, sive in theloneis sive in monetis, seu in aliis officiis quibuscumque, sibi vendicet; nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publice indictam, et per octo dies post eam finitam. Nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere presumant iurisdictionem principis, et consuetudines civitatis. Quocienscumque autem ad aliquam civitatum eorum accesserimus sine nomine publice curie, nichil in ea iuris habeant; set princeps et dominus eius plena in ea gaudeat potestate. Sane quanto fidem ampliorem

predictorum principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendimus prospicere.

11. Et quoniam acta hominum oblivio, inimica memorie, per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentia vigilantiori adhibita hec nostre gracie beneficia ecclesiis impensa perpetuari volumus, statuentes, ut heredes nostri et successores imperio ea rata conservent, et exequantur, et faciant in subsidium ecclesiarum a laicis universaliter observari.

Et ut futuris innotescant, et a presentium non excidant memoria sive noticia, ea fecimus huic pagine annotari, et paginam subnotatione nominum eorum qui interfuerunt, principum videlicet, et sigilli nostri munimine insigniri. Testes hii sunt: Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Theodericus Treverensis archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Cuonradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius, Eckbertus Babenbergensis episcopus, Cuonradus Ratisponensis episcopus, Hartwicus Eistetensis episcopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Otto Traiectensis episcopus, Theodericus Monasteriensis episcopus, Hugo Leodiensis episcopus, Engelhardus Nuvenburgensis episcopus, Heinricus Basiliensis episcopus, H... Havelbergensis episcopus, et alii quam plures.

[Signum domini Friderici secundi Romanorum regis invictissimi et regis Sicilie.]

Ego Chuonradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini [Sifridi] Maguntini [Maguntine sedis] archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnacionis 1220. indictione 9. regnante domino Friderico secundo Romanorum et Sicilie rege glorioso; anno regni eius in Germania 8, in Sicilia vero 23.

Datum apud Frankenfort 6. Maii, indictione prescripta.

XI. Friderici II. edictum contra statuta ecclesiasticae libertati praeiudicantia a. 1220 *).

Fredericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie, potestatibus, consulibus ac communitatibus universarum civitatum et castrorum Ytalie. Cum dive memorie im-

*) Ex editione apud Pertz Leg. Tom. II p. 238. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 108.

peratores Romani sacrosanctam ecclesiam multiplici libertate dotarint, nos disponente Deo, a quo est omnis potestas, ad fastigium culminis imperialis electi, que pie ab illis et a sanctissimis apostolice sedis presulibus pro statu ecclesiarum et ecclesiasticorum virorum sunt edita, conservare volumus inconcussa, et illis contraria, sicut ad nos spectare dinoscitur, amputare. Cum igitur ad aures celsitudinis nostre perveniret, nonnullos vestrum cupidine ceca seductos, quedam detestanda edidisse statuta preiudicantia ecclesiastice libertati ac divino et humano iuri obviantia, manifeste nos ea tanquam de radice pravitatis heretice provenientia, presentium auctoritate cassamus, sub pena mille marcarum districtius inhibentes, ne qui vestrum illis de cetero inherere presumant, aut eorum pretextu ecclesias et ecclesiasticos viros contra sanctiones canonicas et legitimas molestare, quinymmo ea de vestris capitularibus seu breviariis tanquam iusto iudicio condempnata penitus abolentes, ecclesias et personas ecclesiasticas permittatis indulta sibi libertate gaudere, si vultis penam effugere prenotatam et indignationem regiam evitare.

Dat. in castris apud sanctum Leonem anno Domini 1220. indictione 9. octavo Kal. Octobr.

XII. Friderici II. constitutio in basilica beati Petri a. 1220 *).

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, ducibus, marchionibus, comitibus, cunctisque populis quos clementie nostre regit imperium, salutem et gratiam.

In die qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei et ecclesie sue honorem edere quasdam leges, quas presenti pagine iussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas, per imperialia vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eas quisque in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servetis. Sunt autem hec leges.

1. Ad decus et decorem imperii et ad laudem Romani principis nichil magis videtur accedere, quam ut expurgatis quorundam erroribus et iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de cetero ecclesia plena quiete vigeat, et secura gaudeat

*) Ex editione apud Pertz Leg. T. II. p. 243. Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 108.

libertate. Sane adeo infidelium quorundam et perversorum iniquitas habundavit, ut non dubitent, contra apostolicam disciplinam et sacros canones, sua statuta confingere adversus ecclesiasticas personas et ecclesie libertatem. Cum ergo ecclesia que nichil debet preter bonum appetere, dispositione divina faciente nichil velit quod nobis eodem cursu voluntatum non placeat, nos Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, hac edictali lege irritamus, et precipimus irrita nuntiari omnia statuta et consuetudines que civitates vel loca, potestates, consules, vel quecumque alie persone contra libertates ecclesie ac personas ecclesiasticas edere, vel servare temptarunt adversus canonicas vel imperiales sanctiones, et ea de capitularibus suis mandamus infra duos menses post huiusmodi publicationem edicti penitus aboleri; et si de cetero similia attemptaverint, ipso iure decernimus esse nulla, et eos sua iurisdictione privatos, necnon locum ubi deinceps talia presumpta fuerint banno mille marcarum precipimus subiacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii, et scriptores dictorum statutorum, nec non consiliarii locorum ipsorum qui secundum statuta vel consuetudines memoratas iudicaverint, sint extunc ipso iure infames, quorum sententias et actus alias legitimos statuimus aliquatenus non tenere. Qui si per annum huius nostre constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari, salvis nichilominus aliis penis contra tales in generali concilio promulgatis.

2. Item nulla communitas vel persona, publica vel privata, collectas sive exactiones, angarias vel perangarias, ecclesiis aliisque piis locis aut ecclesiasticis personis imponant, aut invadere ecclesiastica bona presumant; quod si fecerint et requisiti ab ecclesia vel imperio emendare contempserint, triplum refundant, et nichilominus banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

3. Item quecumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesie facta perstiterit, ipso iure imperiali banno subiaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento.

4. Statuimus autem, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare presumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a iure suo cadat, iudicatum non teneat, et iudex sit ex tunc iudicandi potestate privatus.

Sanccimus etiam, ut si qui clericis vel personis ecclesiasticis iustitiam denegare presumpserint, tertio requisiti suam iurisditionem ammittant.

5. Chataros, paterenos, leonistas, speronistas, arnaldistas, circumcisos, et omnes hereticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur, perpetua dampnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad successionem eorum pervenire non possint, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad mandatum ecclesie iuxta considerationem suspitionis qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tamquam infames et banniti ab omnibus habeantur, ita quod, si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut hereticos condempnamus.

6. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates vel consules seu rectores quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei prestent publice iuramentum, quod de terris sue iurisdictioni subiectis universos hereticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quandocumque quis fuerit in potestatem sive perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur, eorumque sententias decernimus ex tunc irritas et inanes. Si vero dominus temporalis, requisitus et amonitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus catholicis occupandam; qui eam exterminatis hereticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent; salvo iure domini principalis, dum modo super hoc nullum prestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eadem nichilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales. Credentes preterea, receptatores, defensores et fautores hereticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus preterea ei super quocumque negotio, set ipse alii respondere co-

gatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alique ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti.

7. Navigia, quocumque locorum perveniant, si quo casu contingente rupta fuerint, vel alias ad terram perveniant, tam navigia ipsa quam navigantium bona illis integre reserventur ad quos spectabant ante quam navigium huiusmodi periculum incurrisset, sublata penitus omni consuetudine locorum que huic adversatur sanctioni; nisi talia sint navigia que piraticam exerceant, aut sint nobis vel christiano nomini inimica. Transgressores autem huius nostre constitutionis bonorum publicatione multentur, et si res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

8. Omnes vero peregrini et advene libere hospitentur ubi voluerint; et hospitati, si testare voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem; quorum ordinatio inconcussa servetur. Si vero intestati decesserint, ad hospitem nichil perveniat, set bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur si fieri potest heredibus, vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium contra hanc nostram constitutionem habuerit, triplum episcopo restituat, quibus visum fuerit assignandum. Non obstante statuto aliquo aut consuetudine seu etiam privilegio que hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra presumpserint, eis de re rebus suis testandi interdicimus facultatem, ut in eo puniantur in quo deliquerunt; alias, prout culpe qualitas exegerit, puniendi.

9. Agricultores et circa rem rusticam occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, ut personam, boves agrorum, instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad operam rusticanam pertineat, invadere, capere aut violenter auferre presumat. Si quis autem statutum huiusmodi ausu temerario violare presumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamie notam ipso iure incurrat; imperiali animadversione nichilominus puniendus.

XIII. Concordata Constantiensia a. 1418 *).

Praefatio et testimonium Ioannis cardinalis et vicecancellarii **).

Ego Ioannes episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis et vicecancellarius, infrascriptas constitutiones et statuta transvidi in cancellaria, de mandato domini nostri Martini Papae V. die XV. mensis Aprilis, Pontificatus dicti domini nostri Papae anno primo. Et in libro cancellariae feci scribi de eodem mandato. Et iuxta eiusdem domini nostri mandatum sic observari mandavi. Et nihil extrahi ea feci et mandavi per notarium subscriptum, et in hanc publicam et authenticam formam redigi, inserendo ea de verbo ad verbum, prout in quaternis seu libris dictae cancellariae originaliter conscripta existunt. Ut in quocumque iudicio et extra, tam in curia Romana, quam extra, fidem plenariam faciant, illisque stari debeat incommutabiliter, sicut propriis originalibus. Voluit insuper, mandavit, et statuit, et ordinavit idem dominus noster Papa, quod omnia et singula hic subscripta, firmiter et immobiliter observentur. In quorum omnium testimonium sigillum meum cum notarii publici infrascripti subscriptione apponi feci et mandavi.

Alia praefatio cum simili testimonio ***).

Universis et singulis, Ioannes, miseratione divina Episcopus Hostiensis, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis et Vicecancellarius, salutem in Domino et praesentibus fidem indubiam adhibere. Si iuxta laudabilem antiquorum sententiam et providum sapientum consilium dignum est, ea quae maiorum consultissima providentia in subiectorum gratiam et commoda geruntur, scripturae testimonio redigere: dignum est per consequens et rationi consentaneum, ut adeo nota fiat ecclesiae eorum veritas, quod inde nec desit pacificis opportuna provisio, nec usquequaque perversis sub ignorantia variandi supina facilitas relinquatur. Cum itaque nuper inter sanctissimum in Christo Patrem et Dominum nostrum Dominum Martinum divina providentia Papam quintum, et Reverendos Patres, Praelatos, nec non egregios et cir-

---

*) Adhibui editiones apud Mansi Conc. Tom. XXVII. col. 1189—93., Hartzheim Conc. German. Tom. V. p. 725—32.

**) Ex ms. Caesareo.

***) Ex ms. Brunsvic.

cumspectos viros Ambassiatores, Procuratores, Doctores et Magistros, caeterosque venerabilem nationem Germanicam in generali Constantiensi Concilio repraesentantes et facientes nonnulla capitula concordata et ab utraque parte sponte suscepta, nec non de dicti Domini nostri Papae mandato in libro Cancellariae sanctae Romanae Ecclesiae, in quo Romanorum Pontificum constitutiones et ordinationes solent conscribi, ad futuram rei certitudinem nobis operam dantibus, prout ad nostrum spectat officium, die quinta decima mensis Aprilis, Pontificatus Domini nostri Papae anno primo conscripta fuerunt, ac demum de simili mandato in audientia contradictoriarum die secunda mensis Maii, anno, quo supra lecta et publicata: adiectoque quod sub nostrarum literarum testimonio indigens quisque sibi testimonium sumere valeat, in toto, vel in ea parte, qua indigeret eorundem. Nos ad reverendi patris in Christo domini Martini episcopi Atrebatensis instantiam, capitula huiusmodi, sicut praefertur, concordata et sponte suscepta, ex integro ex libro praedicto de verbo ad verbum fideliter transscribi et praesentibus annotari fecimus, quorum tenor sequitur in hunc modum.

(XII.) In Cathedrali Ecclesia Monasteriensi Capitulum constituent binae Dignitates, Maior nempe Praepositurae, ac secunda Decanatus, octo Canonicatus Numerarii, quatuor Honorarii Canonicatus, et octo Vicariae, seu Praebendatus.

(XIII.) Culmensis Cathedralis Ecclesiae Capitulum consta-

bit ex binis Dignitatibus, Praeposituraé videlicet, ac Decanatus, ex octo Canonicatibus Numerariis, ex quatuor Honorariis Canonicatibus, et e sex Vicariis, seu Praebendatis.

(XIV.) Cathedralis Ecclesiae Wratislaviensis Capitulum efformabunt duo Dignitates, una videlicet Praeposituraе, et altera Decanatus, decem Canonicatus Numerarii quorum primus Scholastici Praebendam adnexam habebit, sex Canonicatus Honorarii, atque octo Vicariae, seu Praebendatus.

(XV.) Demum quod attinet, ad Episcopalem Ecclesiam Warmiensem, illius Cathedrale Capitulum in eo quo nunc reperitur statu consistet; reservata tamen Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus Nostris facultate Capitulum ipsum ad aliarum in Regno Borussico existentium Ecclesiarum normam imposterum conformandi.

(XVI.) Porro in qualibet ex antedictis Ecclesiis tam Archiepiscopalibus quam Episcopalibus Animarum Parochianorum cura habitualis residebit penes Capitulum, actualis vero ab uno e Capitularibus ad hoc expresse designando, et praevio examine ad formam sacrorum Canonum ab ordinario approbando cum Vicariorum auxilio exercebitur; ac in unoquoque ex iisdem Capitulis duo ab ordinario stabiliter deputandi erunt idonei Canonici, a quorum uno Poenitentiarii, ab altero vero sacram scripturam statis diebus Populo exponendo Theologi respective munera fideliter adimpleantur.

(XVII.) Singulis profecto ex primodictorum Capitulorum Canonicis Honorariis, quos ad personalem residentiam et ad Servitium Chori minime obligatos esse declaramus, idem cum Residentibus Canonicis aditus ad Chorum et ad caeteras Ecclesiasticas Functiones patebit; Nosque ad maius praedictarum Ecclesiarum decus, ac splendorem omnibus antedictis Dignitatibus, et Canonicis Indultum utendi iisdem insigniis, quibus antea fruebantur, expresse confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus, et elargimur.

(XVIII.) Cuilibet similiter ex supradictis Capitulis Cathedralibus nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro novo, et circumstantiis magis accomodato earumdem Archiepiscopalium, et Episcopalium Ecclesiarum, earumque Chori quotidiano servitio, nec non rerum, ac iurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio, ac directione, onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum, et aliorum quorum-

cumque emolumentorum exactione, ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus Divinis Officiis incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, ac ritibus servandis, et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis, et opportunis quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen, atque honesta, et Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Decretisque Concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione, et approbatione respectivorum Archiepiscoporum, et Episcoporum edere, atque edita declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, et reformare, seu alia de novo, ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observanda, sub poenis in contrafacientes statuendis pariter condere, atque edere libere, ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus, et impertimur.

(XIX.) Dignitatum Canonicorum, et Vicariorum, seu Praebendatorum numero tam in Metropolitanis, quam in Cathedralibus Capitulis, ut supra praefinito, ad ea tam pro hac prima vice, quam pro futuris temporibus componenda statuimus, ut imposterum quilibet ad Dignitates, et Canonicatus assequendos infrascriptis ornatus esse debeat requisitis, nempe, quod maiores sacros ordines susceperit, utilemque Ecclesiae operam saltem per quinquennium navaverit, vel in Animarum Cura exercenda, aut adiuvanda sese praestiterit, vel Theologiae, aut Sacrorum Canonum Professor existerit, vel alicuique in Regno Borussico existenti Episcopo Dioecesanae administrationis munere inservierit, vel demum in sacra Theologia, aut in Iure Canonico Doctoratus Lauream rite fuerit consequutus; postremae tamen huiusce conditionis effectu ex iustis, gravibusque causis per Decennium a Data praesentium computandum in suspensum remanente. Cuiuscumque vero conditionis ecclesiasticos Viros aequali iure ad Dignitates, et Canonicatus obtinendos gaudere debere decernimus. Itemque statuimus unam in Monasteriensi, ac alteram in Wratislaviensi Cathedralibus Ecclesiis Canonicalem Praebendam designandam, et ab eo ad quem iuxta mensium alternativam pertinebit, semper, et quandocumque conferendam esse uni, et alteri canonica requisita habentibus ex Professoribus Universitatum in dictis respectivis Civitatibus existentium; atque ulterius decernimus, tam Praepositum Parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis Civitatis Berolinensis, quam Decanum commissarium Ecclesiasticum in comitatu Glacensi pro tempore existen-

tes inter Honorarios Canonicos Wratislaviensis Cathedralis Capituli esse cooptandos; ita ut pari cum iis fruantur iure, locum illum, atque Ordinem tenentes, qui secundum respectivae Nominationis tempus ipsis competere dignoscatur. Quilibet autem ex Canonicis Honorariis in unumquodque ex antedictis Capitulis cooptandus sumendus erit ex numero Archipresbyterorum Animarum curam in respectiva Dioecesi laudabiliter exercentium.

(XX.) Quod vero attinet ad novam Supradictorum Capitulorum pro hac prima vice ea qua convenit celeritate explendam compositionem, infra nominando harum Litterarum Nostrarum Exequutori potestatem facimus, ut in unaquaque Ecclesia tam Dignitates, et Canonicatus, quam Vicarias, seu Praebendatus actu vacantes, quae ad sequendum numerum ut supra designatum fortasse deficient, dignis et idoneis Ecclesiasticis Viris ex delegata sibi speciali Apostolica facultate, ac huius sanctae sedis nomine conferat; ita tamen ut ii dumtaxat, qui de Dignitatibus, et Canonicatibus ab ipso provisi fuerint, Apostolicas novae Provisionis, et Confirmationis Litteras infra sex menses ex tunc proximos a Dataria Nostra impetrare, et expedire facere teneantur. Et si contingat, quod in aliqua ex Metropolitanis, vel Cathedralibus in Borussiae Regno existentibus Ecclesiis Dignitates, Canonici, et Vicarii, seu Praebendati legitime, et canonice instituti adhuc viventes respectivum numerum a Nobis ut supra praefinitum excedant, praedictus Exequutor Apostolicus, vocatis auditisque interesse habentibus aut per voluntarias iurium abdicationes ab illis, vel ab illorum aliquibus emittendas rem componat, proviso insimul per congruas vitalitias Pensiones, iam a Serenissimo Rege pollicitas, Dimittentium sustentationi, aut si abdicationes huiusmodi minime habeantur, vel sufficientem numerum non attingant in hoc casu, qui numerum in supradicta Nostris dispositione praefinitum excedentes Dignitatum, Canonicatuum, et Vicariatuum possessionem postremo loco adepti fuerint, si apud Ecclesias suas resideant, Capitulares quidem, et Vicarii respective esse pergent, iuribus, et praerogativis nunc iis competentibus fruentur, suosque redditus in ea quantitate percipient, qua in praesens gaudent. Sed quando beneficia ab iis obtenta quocumque modo vacaverint aliis conferri minime poterunt, atque ex nunc pro tunc suppressa, et extincta debeant intelligi, ad hoc ut deinceps praefixus ut supra numerus in respectivis Capitulis ad amussim observetur. Quod si in aliquo Capitulo Canonici minoribus in praesentiarum fruantur redditi-

bus, quam qui futuris eorum loco assignantur, nullum isti redituum augmentum consequentur, nisi ab Exequutore Apostolico singulatim similibus amplioribus redditibus donati fuerint.

(XXI.) Futuro autem tempore, ac successivis vacationibus a Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris Praepositura, quae Maior post Pontificalem Dignitas in supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Ecclesiis, nec non in ecclesia Aquisgranensi in Collegiatam ut infra erigenda, itemque Canonicatus in Mensibus Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris, ac Novembris in praefatis Ecclesiis vacantes conferentur quemadmodum in Capitulo Wratislaviensi hactenus factum est: quod vero ad Decanatus in praedictis Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis, et ad Canonicatus tam in ipsis, quam in dicta Aquisgranensi Ecclesia in Collegiatam erigenda, in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferentur. Vicariatus autem, seu Praebendatus in praedictis Ecclesiis quocumque mense vacaverant respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum collationi relinquimus.

(XXII.) Rem denique Germaniae gratissimam, simulque praelaudato Borussiae Regi acceptissimam, Nos esse facturos iudicantes, si electionum iure in Transrhenanis Ecclesiis retento, ac confirmato, et in Cisrhenanis cessato per Apostolicas Dispositiones anni millesimi octingentesimi primi, nunc in ipsis Cisrhenanis Dioecesibus praefati Regis Temporali Dominio subiectis, idem ius electionis redintegretur, quoad Capitula Ecclesiarum ad Germaniam pertinentium, nempe Coloniensis, Trevirensis, Wratislaviensis, Paderbornensis et Monasteriensis, decernimus, ac statuimus, quod alia quacumque ratione vel consuetudine, nec non electionis, et postulationis discrimine, nobilitatisque natalium necessitate sublatis, Capitulis praedictis, postquam supradicta methodo constituta, et ordinata erunt, facultatem tribuimus, ut in singulis illarum sedium vacationibus per Antistitum respectivorum obitum extra Romanam Curiam, vel per earum sedium resignationem, et abdicationem (excepto tamen praesenti casu vacationis Coloniensis, ac Trevirensis Ecclesiarum) infra consuetum Trimestris spatium Dignitates, ac Canonici capitulariter congregati, et servatis Canonicis regulis novos Antistites ex Ecclesiastis quibuscunque viris Regni Borussici incolis, dignis tamen, et iuxta Canonicas sanctiones idoneis servatis servandis ad formam sacrorum Canonum eligere possint; ad huiusmodi autem Electiones ius suffragii habebunt Canonici, tam Numerarii, quam Ho-

norarii, ne exclusis quidem illis, qui ultra Capitularium numerum in hac reordinatione praefinitum, quoad vixerint in ipsis Capitulis conservabuntur.

(XXIII.) Nihil vero in Capitulis Episcopalium Ecclesiarum Warmiensis, et Culmensis, nec non Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis, invicem perpetuo unitarum, innovantes mandamus dumtaxat ut Gnesnenses, et Posnanienses Capitulares ad Archiepiscopi electionem coniunctim debeant procedere. Quod autem spectat vacantem Episcopalem Ecclesiam Wratislaviensem, specialem potestatem facimus, quinque actu in illa existentibus Dignitatibus, nempe Praeposito, Decano, Archidiacono, Scholastico et Custode, octo Canonicis residentibus, et sex Canonicis Honorariis, qui nunc eius Ecclesiae Capitulares habentur, ut ad novi Episcopi electionem Canonicam modo, et forma praemissis, hoc etiam prima vice procedere possint, et valeant.

(XXIV.) Quaelibet vero electionum huismodi Instrumenta in authentica forma exarata, ad Sanctam Sedem de more mittentur, a qua si Electio Canonice peracta agnoscetur, et ex processu Inquisitionis deinde a Romano Pontifice in singulis casibus alicui ex Archiepiscopis, vel Episcopis intra fines Regni Borussici existentibus committendo, et ad formam instructionis iussu San. Mem. Urbani Octavi Praedecessoris Nostri editae diligenter exarando de electi idoneitate constiterit, electiones huiusmodi a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris iuxta statutum morem per Apostolicas Litteras confirmabuntur.

(XXV.) In singulis praeterea Civitatibus, tam Archiepiscopalibus, quam Episcopalibus unum Clericorum Seminarium, vel conservandum vel de novo quamprimum erigendum esse statuimus, in quo is Clericorum numerus ali, atque ad formam Decretorum Sacri Concilii Tridentini institui, ac educari debeat, qui respectivarum Dioecesium amplitudini, et necessitati respondeat, quique ab Exequutore praesentium Litterarum congrue erit praefiniendus: Archiepiscopi tamen Gnesnensis, et Posnaniensis iudicio, et prudentiae relinquimus, vel in utraque Civitate proprium, ac distinctum, vel unum tantum in Posnaniensi Civitate, quia amplis aedibus constat, pro clericis ambarum Dioecesium Seminarium constabilire prout Ecclesiarum ipsarum utilitas postulaverit.

(XXVI.) Volentes nunc praevia dismembratione, separatione, atque immutatione nonnullorum Locorum, et Paroeciarum a priorum Ordinariorum iurisdictione subtrahendarum ad

effectum illa, et illas Dioecesibus infrascriptis noviter aggregandi, atque incorporandi, prout magis in Domino opportunum visum fuerit, et auditis etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide Praepositis ad novam Dioecesium circumscriptionem procedere, ut singularum distinctis finibus quaestiones omnes auferantur circa Spiritualis iurisdictionis exercitium, earum Distributionem, ac Divisionem de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praescribimus, et constituimus iuxta eum, qui sequitur, modum, videlicet:

(XXVII.) Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Dioecesis efformabitur ex Paroeciis sexcentum octoginta sex partim in sinistra, partim in dextera Rheni ripa positis. Et in sinistra quidem complectetur paroecias omnes pridem in suppressa ad praesens Aquisgranensi Dioecesi contentas, quae ad Provincias pertinens Coloniensem, Dusseldorphinam, et Aquisgranensem, nempe ultra Paroecias civitatum Coloniae et Aquisgrani, Ecclesias Cantonales nuncupatas — Bergheimerdorff — Bonna, vulgo Bonn — Brühl — Kerpen — Lechenich — Lessenich — Loevenich — Meckenheim — Münstereiffel — Zolbiacum, vulgo Zülpich — Crefeld — Dahlen — Dormagen — Elsen — Gladbach — Neuss — Urdingen — Viersen — Burtscheid — Marcodurum, vulgo Düren — Erkelenz — Eschweiler — Geilenkirchen — Gemünd — Heinsberg — Juliacum, vulgo Jülich — Linnich — Montjoie — et Niddeggen — una cum earum Ecclesiis succursalibus, et adnexis, quae in dictis Provinciis intra Borussici Regni fines modo inveniuntur, a Cantonalibus disiungendo Paroecias succursales, et adnexas extra Regnum positas, et viceversa succursales, et adnexas pridem pendentes a Cantonalibus positis extra Regnum aggreganda Cantonalibus in Regno existentibus. Complectetur praeterea Cantonales Ecclesias ad Leodinensem Dioecesim pertinentes, ac temporariae administrationi moderni Vicarii Capitularis Aquisgranensis ab Apostolica Sede commissas videlicet Ecclesias Cantonales nuncupatas — Cronemburg — Eupen — Malmedy — Niederkrüchten — Schleiden — et St. Vith — una cum earum succursalibus, et adnexis in Borussica ditione sitis, ac sex Paroeciis succursalibus, nuncupatis — Afden — Alsdorff — Merkstein — Rolduc — Ubach, — et Welz — modo dependentes a Cantonali — Herckraede — posita extra Regnum Borussicum. Insuper complectetur novemdecim Provinciae Aquisgranensis ad Trevirensem Dioecesim usque nunc pertinentes Paroecias nuncupatas —

Allendorff — Blankenheim — Dollendorff — Hollerath — Lommersdorff — Manderfeld — Marmagen — Mühlheim — Nettersheim — Reiferscheid — Rescheid — Rigsdorff — Rohr — Schmittheim — Schönberg — Steinfeld — Tondorff — Udelhoven — et Wildenburg — cum suis adnexis Ecclesiis. In dextera autem Rheni ripa, Provinciisque Coloniensi, Dusseldorphiana, et Confluentina Paroecias complectetur Regionum — Juiliensis — Dusseldorphianae — Essensis et Siegburgensis — cum earum succursalibus, et adnexis, demptis tamen Paroecia — Römershagen — Paderbornensi Dioecesi ut infra applicanda, nec non Paroeciis — Hachenburg — et Marienstadt — nuncupatis, quae in Ducatu Nassaviae reperiuntur.

(XXVIII.) Dioecesis Episcopalis Trevirensis, ab omni Metropolitico iure Archiepiscopi Mechlinensis subtractae, ac Metropolitanae Coloniensis suffraganeae adsignatae, constabit infra Regni Borussici fines ex Paroeciis Sexcentum Triginta quatuor, scilicet in sinistra Rheni ripa, ex iis omnibus, quae actu ad illam Dioecesim pertinent, et provincia Trevirensi continentur. Tum vero ex ea suppressae nunc Dioecesis Aquisgranensis parte, quae in Confluentina Provincia continentur, videlicet civitate ipsa Confluentiae, et Ecclesiis Cantonalibus nuncupatis — Adenau — Ahrweiler — Andernach — Boppard — Castellaun — Cochem — Creutznach — Kaysersesch — Kirchberg — Kirn — Lützerath — Mayen — Münstermayfeld — Niederzissen — Oberwesel — Polch — Pünderich — Remagen — Rübenach — Simmern — Sobernheim — St. Goar — Stromberg — Treiss — Uhnen — Wanderath — et Zell — cum suis succursalibus, et adnexis. Porro autem ex centum triginta duabus Paroeciis tum Cantonalibus, tum succursalibus, cum suis adnexis quae in circumscriptione Anni millesimi octingentesimi primi Dioecesi Metensi fuerant attributae, ac deinde temporariae administrationi Vicarii Capitularis Trevirensis ab apostolica sede commissae. In dextra vero Rheni ripa ex cunctis Ecclesiis ditionis Borussicae, quae pridem ad ipsam Trevirensem Dioecesim spectabant, quaeque per Gallicanarum Dioecesium circumscriptionem anno millesimo octingentesimo primo a Nobis factam ab illa fuerant dismembratae, ac in praesens a Vicario Apostolico in oppido Ehrenbreitstein residente ad Nostrum beneplacitum administrantur. Tandem vero extra praedictum Paroeciarum sexcentum triginta quatuor numerum Regnique Borussici fines, cunctis illis, quae in Territoriis Principum Coburgensis, Homburgensis, et Ol-

denburgensis inveniuntur iam ipsi Dioecesi Trevirensi pertinentibus.

(XXIX.) Dioecesim Episcopalis Monasteriensis Ecclesiae Suffraganeae Metropolitanae Coloniensis efformabunt biscentum octoginta septem Paroeciae intra fines Regni Borussici sitae et aliae quoque extra eiusdem Regni fines in eodem Dioecesano Territorio actu comprehensae, de quibus in aliud tempus disponendi Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris prout opportunum in Domino iudicabitur facultatem reservamus. Adiungimus praeterea Regiones nuncupatas — Recklinghausensem — Sterkrathensem — et Reesensem — pridem antiquae Coloniensis Dioecesis, exclusa tamen ab hac postrema Regione Paroecia Oeffelt sub Temporali Belgici Regni dominio existente, nec non ex Dioecesi Aquisgranensi nunc suppressa Cantonales Ecclesias nuncupatas — Calcar — Cleve — Cranenburg — Dülken — Geldern — Goch — Kempen — Meurs — Rheinberg — Wankum — Wesel, — et Xanten — cum suis succursalibus, et adnexis, exceptis tamen iis Dominio Regis Belgarum in temporalibus subiectis. Adiungimus insuper Paroecias nuncupatas — Elten, — et Emmerich — cum sua filiali huc usque sub missionibus Hollandicis extantes, itemque Paroeciam — Oldenburgensem — quam seiungimus a Missionibus septemtrionalibus, quaeque pertinent ad ditionem Ducis Oldenburgensis. Denique moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Monasteriensi perpetuo regendas, et administrandas committimus quinque paroecias nuncupatas — Brochterbeck — Ibbenbühren — Mettingen — Recke, — et Halverde, quae suffraganei Osnabrugensis Administrationi ad Apostolicae sedis beneplacitum erant commissae.

(XXX.) Paderbornensis Episcopalis Ecclesiae, Coloniensis Metropolitanae Suffraganeae, Dioecesis iisdem, quibus nunc reperitur, manebit circumscripta limitibus. Illi praeterea adiungimus alteram nunc suppressam Dioecesim Corbeiensem cum integro suo Territorio a venerabili Fratre Ferdinando Episcopo Monasteriensi administratam, nec non ex Transrhenano antiquae Coloniensis Dioecesis Territorio Decanatus — Mechedensem — Attendornensem — Brilonensem — Wormbachensem — Medebachensem — et Wettenscheidensem — nuncupatos cum suis Parochialibus, et Filialibus Ecclesiis, pariterque Commissariatum — Haarensem, — et Paroeciam — Römershagen, — et ulterius — Rittbergensem — et Wiedenbrückensem — Decanatus, cum suis respective parochialibus, et Filialibus Ecclesiis ab Osna-

brugensi Dioecesi separandos, nec non a Dioecesi olim Moguntina, postea Ratisbonensi disiungendas Paroecias — Siegen — et Obernetphen — nuncupatas, civitatem Heiligenstadt — cum suo Decanatu, et Decanatus — Beurensem — Bischoferodensem — Kirchworbensem — Kühlstädtensem — Lengefeldensem — Neuendorfensem — Nordhausensem — Rüstenfeldensem — Wiesenfeldensem — cum suis Parochialibus et Filialibus Ecclesiis, et Civitatem Erfurti — cum tribus Paroeciis suburbanis, atque Paroecias in Territorio Magni Duci Saxoniae Wimarensis existentes, nec non Paroeciam Eppensem extra Borussiae Regnum in Principatu Waldeccensi ab antiqua Coloniensi Dioecesi segregandam, et demum a Missionum septemtrionalium Vicariatu Apostolico separandas, et a futuris, ac pro tempore existentibus Paderbornensibus Episcopis perpetuo administrandas Paroecias — Mindensem — scilicet in Westphalia, et in Provincia Saxoniae — Adersleben — Althaldensleben — Ammensleben — Aschersleben — Hadmersleben — Ecclesias St. Andreae, et sanctae Catharinae Halberstadii — Hamersleben — Hedersleben — Huysburg — Magdeburg — Marienbeck — Marienstuhl — Meyendorf — Stendal — Halle — et Burg. — Attentis autem grandaeva aetate, ac egregiis de Ecclesia, et de Catholica Religione meritis, venerabilis Fratris Francisci Egonis a Fürstenberg praestantissimi Hildesiensis, ac Paderbornensis Praesulis, ac Missionum septemtrionalium Vicarii Apostolici, ne ipsi novae administrationis onus adiungatur, decernimus, et mandamus nihil circa talem Antistitem in praesens esse innovandum, sed cuncta in eo, quo nunc reperiuntur statu interea reliquendo, antedictam Paderbornensis Dioecesis ampliationem eo dumtaxat tempore suum effectum sortiri debere, cum Episcopali sede Paderbornensi de laudati Antistitis Francisci Egonis Persona quomodocumque vacanti novus Episcopus Apostolicae sedis auctoritate instituetur. Interea vero omnia Loca, et Paroeciae, quae a Coloniensi, et Osnabrugensi Dioecesibus ut supra dismembrantur, administrationi peculiaris Vicarii Apostolici a Nobis committentur, ut inibi usque ad Paderbornensis Episcopalis sedis vacationem, ac futuri novi Episcopi institutionem, exerceat spiritualem iurisdictionem: atque insuper alia loca, et Paroeciae a Dioecesi olim Moguntina postea Ratisbonensi disiuncta, et ab Episcopo pridem Corbeiensi, nunc Monasteriensi administrata temporaneae pariter Vicarii Apostolici Administrationi tradentur.

(XXXI.) Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis in-

vicem perpetuo principaliter unitarum Dioeceses efformabunt ea ipsa loca, quae actu in iisdem continentur, post novissimam Dioecesium Regni Polonici a Nobis peractam Circumscriptionem, exceptis tamen Decanatibus Schlochaviensi — Tuchelensi, et Camenensi, — Culmensis Dioecesi ut infra adiiciendis, ac praeterea Decanatus Kruszwicensis, Iunivladislaviensis, et Gniewkowensis a Dioecesi Wladislaviensi separandi, qui ad praesens a Vicario Apostolico Gedanensi administrantur, nec non Decanatus Ostrszeszowensis et Kempnensis disiungendi a Dioecesi Wratislaviensi. Divisionem autem et assignationem Territorii Dioecesani pro una, et altera Dioecesi statuendam infradicendo praesentium Literarum Exequutori peragendam expresse committimus.

(XXXII.) Dioecesis Episcopalis Ecclesiae Culmensis, suffraganeae Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis, constabit ex biscentum quindecim Paroeciis nempe cum suis respective Succursalibus, et Filialibus Ecclesiis ex Decanatibus Lessensi — Rhedensi — Neumarkano — Loebaviensi — Lautenburgensi — Strasburgensi — Gollubensi — Thorunensi — Culmensi — Culmseensi — et Gurcznensi — cum Paroecia Bialutten nuncupata: quae postremae duo olim Dioecesis Plocensis a suffraganeo Culmensi in praesens administrantur: itemque ex decanatibus — Gedanensi — Putzigensi — Mirchaviensi — Dirschaviensi — Stargardensi — Noevensi — Neuenburgensi — Schwetzensi — Lauenburgensi — Schlochaviensi — Tuchelensi — Camenensi — et Fordonensi; qui Decanatus pridem Dioecesis Wladislaviensis, nunc ab antedicto Vicario Apostolico Gedanensi administrantur, nec non ex Territorio Monasterii Abbatiae nuncupatae Olivensis ut supra suppressi ex nunc pro tunc quando ex Persona moderni Abbatis quomodocumque vacaverit. Et quoniam expositum Nobis fuit aptas Culmae deficere Domos pro Episcopi, et capituli decenti habitatione, facultatem tribuimus Apostolico harum literarum Exequutori, ut auditis interesse habentibus, ac re mature perpensa, firmo remanente Titulo, ac denominatione Episcopatus Culmensis, et opportunis assignatis Ecclesia atque aedibus, residentiam Episcopi et Capituli Culmensis, si ita in Domino expedire iudicaverit, Pelplinum transferre libere, ac licite possit, et valeat, proviso insimul congruae Cathedralis Culmensis manutentioni.

(XXXIII.) Wratislaviensis Episcopalis Ecclesiae huic Apostolicae sedi immediate subiectae Dioecesim efformabit actualis

illius Territorium, exceptis dumtaxat Decanatibus Ostrszeszowensi, Kempnensi Dioecesi Posnaniensi ut supra incorporatis, et insuper Decanatus Plessensis, et Bythomiensis a Cracoviensi Dioecesi disiuncti, nec non sequentes Paroeciae in Lusatia, videlicet Neocellensis Monasterii Nullius ut supra suppressi, et aliae nuncupatae — Wittichenau — Guntersdorf — Hennersdorf — Pfaffendorf — Ubersdorf — a Decano Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri Oppidi Buddissinae in Lusatia superiori, hactenus administratae: quae omnes insimul intra fines Borussici Regni Paroeciae ad sexcentum viginti unius numerum ascendent. Conservabit item illas, quas actu habet in Austriaca Ditione Paroecias. Futuri praeterea, ac pro tempore existentis Wratislaviensis Episcopi Administrationi perpetuo subiicimus eas, quae a Vicario Apostolico Missionum septentrionalium fuerunt hucusque administratae Paroeciae in Civitatibus Berolini, Potsdamii, Spandaviae, Francofurti ad Viadrum, Stettini, et Stralsundiae, quaeque imposterum vi subdelegationis Episcopi Wratislaviensis a supramemorato Praeposito Parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis dictae Civitatis Berolinensis erunt administrandae.

(XXXIV.) Denique Warmiensis Episcopalis Ecclesiae, Apostolicae sedi pariter immediate subiectae, Dioecesis ex proprio actuali Dioecesano Territorio constabit, atque insuper ex Decanatibus — Fürstenwerdensi — Neuteichensi — Mariaeburgensi — Stumensi — et Christburgensi — cum suis Ecclesiis tam succursalibus, quam Filialibus a Dioecesi Culmensi disiungendis, ita ut integra Dioecesis Centum novemdecim Paroecias complectatur.

(XXXV.) Praedictas itaque Civitates, et Ecclesias Archiepiscopales et Episcopales, itemque Paroecias et Loca respectivis Ecclesiis pro Dioecesi attributa, eorumque Incolas utriusque Sexus tam Clericos, quam Laicos iisdem Ecclesiis eorumque Praesulibus pro suis respectiva Civitate, Territorio, Dioecesi, Clero et Populo perpetuo assignamus, et in spiritualibus omnimodo subiicimus ad hoc ut cuilibet Antistiti vel iam promoto, vel in futurum Apostolica auctoritate promovendo liceat per se vel per alios eorum nomine (postquam tamen supramemoratus Iosephus Episcopus Warmiensis praesentes Literas debitae executioni mandaverit, et quoad nonnullas dispositiones nunc pro tunc a Nobis factas cum tempus pro illarum executione ut supra definitum advenerit) veram, realem, actualem et corporalem pos-

sessionem regiminis, administrationis, et omnimodo Iuris Dioecesani, et Ordinarii in praedictis Civitatibus, ac earum Ecclesiis, et Dioecesibus, nec non bonis, aliisque redditibus ad ipsarum dotationem, ut infra assignandis vigore literarum Apostolicarum Canonicae Institutionis libere apprehendere, apprehensamque retinere; proptereaque statim, ac in locis per hanc Nostram dispositionem singulis Dioecesibus nunc attributis possessionem sumpserint, illarumque Regimen actu consecuti fuerint, omnis antiquorum sub quocumque Ordinariorum, seu Vicariorum, vel administratorum Titulo iurisdictio cessare debebit, omnesque facultates in Partibus, et locis ab eorum iurisdictione subtractis nullius erunt amplius roboris vel momenti.

(XXXVI.) Nos enim ad respectivorum Dioecesanorum utilitati consulendum praescribimus, et iniungimus, ut omnia et singula Documenta respicientia Ecclesias, Dioeceses, Paroecias, et loca ut supra dismembrata, ac de novo applicata a veteribus Cancellariis extrahi, et Cancellariis Dioecesium quibus erunt incorporata opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo debeant asservari.

(XXXVII.) Vicissim autem Venerabiles Fratres moderni, ac pro tempore existentes Pragensis, et Olomucensis Archiepiscopo nec non Episcopi Reginorhadecensis, et Litomericensis eamdem, quam nunc exercent, Spiritualem Iurisdictionem in Regno Borussico etiam inposterum conservabunt.

(XXXVIII.) Filiales vero, et Parochiales Ecclesias earumque Fractiones in hac Nostra Dispositione non comprehensas, et extra Regnum Borussiae existentes a Matricibus, et Parochialibus in eodem Regno positis disiungimus, et a proximioribus ordinariis aliis Matricibus, et Parochialibus Ditionum, quibus in temporalibus subiacent, applicandas esse mandamus, ac vicissim de Paroeciis, et Filialibus Ecclesiis cum suis Fractionibus intra Borussicum Regnum positis, quae a Matricibus extra idem Regnum existentibus pendent, idem observandum esse decernimus; reservata Nobis, et huic Apostolicae sedi cura de Spirituali regimine aliis Partibus, et Locis si opus fuerit providendi.

(XXXIX.) Inspectis autem Dioecesium Borussici Regni amplitudine, ac magno Dioecesanorum numero, cum difficile admodum esset Archiepiscopis, et Episcopis Confirmationis Sacramentum Christi fidelibus administrare aliaque Pontificalia munera sine ulterius Episcopi opera, et auxilio exercere; hinc Nos

confirmantes suffraganeatus in Dioecesibus Regni Borussiae in quibus constituti reperiuntur, eos in Coloniensi, ac Trevirensi Dioecesibus redintegramus, et de novo constituimus: atque id circo quilibet Archiepiscopus, et Episcopus Nos, et Romanos Pontifices Successores Nostros iuxta praescriptum morem supplicabit, ut aliquis Ecclesiasticus Vir opportunis praeditus requisitis, ad Suffraganei munus designetur, ac praevio Canonico processu, servatisque consuetis formis de Episcopatu Titulari in Partibus Infidelium assuetae congruae adsignatione provideatur.

(XL.) Quoniam vero praeclaram antiquissimam Coloniensem Sedem Archiepiscopalem duximus redintegrandam, potius quam Episcopalem Sedem Aquisgranensem illius quodammodo loco viginti dumtaxat ab hinc annis erectam conservare; aliquam tamen Civitatis Aquisgranensis rationem habendam esse existimantes, cognita etiam in id propensa Serenissimi Borussici Regis voluntate, decernimus, ac statuimus, quod Ecclesia sub Titulo Beatae Mariae Virginis antea Cathedralis in Collegiatam immutetur, eiusque Collegiale Capitulum constet ex unica tantum Praepositi dignitate, et sex Canonicalibus cuius, et quorum Collatio semper quoad Praeposituram Apostolicae Sedi, et quoad Canonicatus eidem Sedi Apostolicae alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debeat ac pertinere. Huiusmodi autem Capitularibus, ex peculiari gratia licentiam deferendi Cappam magnam sericam, violacei coloris cordulis sericis subsutam cum pellibus armellinis hyemali, aestivo autem tempore Mozzettam supra Rocchettum concedimus et indulgemus, atque ulterius facultatem condendi statuta iisdem modo, et forma quibus de Capitulis Cathedralium Ecclesiarum supra eluculenter dictum est tribuimus, et impertimur.

(XLI.) In Exequutorem itaque praesentium Nostrarum Literarum praedictum Venerabilem Fratrem Iosephum Episcopum Warmiensem, de cuius prudentia, doctrina, atque integritate plurimam in Domino fiduciam habemus, expresse nominamus, eligimus, constituimus, et deputamus, eidemque committimus, ut supradicta omnia, et singula a Nobis disposita ad praestitutum finem perducat, atque pariter ad effectum vacantes Ecclesias de idoneis Pastoribus, quae prima necessitas est, cito providendi, et cunctas res Ecclesiasticas ad meliorem statum, et ordinem revocandi quaslibet Ecclesias congrua, et firma dotatione muniri studeat, media ad hoc necessaria benevolentissime, ac liberaliter exhibente praelaudato Serenissimo Borussiae Rege, qui ma-

gnanimi Principis animum, et propensissimam erga Catholicos eius Imperio subiectos voluntatem pro ordinandis absque ulla mora Dioecesibus omnibus Regni Borussiae aperte declaravit, et sequentibus ratione ac modo stabilienda, et applicanda proposuit.

(XLII.) Super publicis Regni sylvis nominatim designandis tot census auctoritate Regia imponentur, quot erunt Dioeceses dotandae, et in respectiva quantitate, ut ex iis annui fructus ab omnibus, cuiuscumque generis, oneribus prorsus libere percipi possint qui satis sint, vel ad integram ipsarum Dioecesium dotationem si nullam actu habeant, vel ad Supplementum eiusdem dotationis si partem aliquam suorum Bonorum adhuc possideant, ita ut Singulae Dioeceses eos annuos redditus imposterum habeant, qui redditibus pro Archiepiscopali, vel Episcopali mensa, pro Capitulo, pro Seminario Dioecesano, proque suffraganeo statutis in quantitate singulis inferius designanda perfecte respondeant, atque huiusmodi censuum proprietas per Instrumenta in legitima, validaque Regni forma stipulanda, et a praelaudato Rege subscribenda unicuique Ecclesiae conferetur. Et quoniam enunciatae Sylvae, prout et publica Bona omnia Regni Borussiae, ob aes alienum, ab Gubernio, bellorum causa contractum, hypotheca gravata sunt, atque ob id super nulla earum parte census imponi eorumque fructus percipi, salva fide, possunt, antequam imminuta, per solutiones a Gubernio Creditoribus hypothecariis factas, aeris alieni summa, sufficiens sylvarum quantitas hypothecae vinculo liberata fuerit; cumque secundum legem, qua Serenissimus Rex Creditoribus publicis cavit, anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio a Magistratibus definiendum sit, qui agri ab eo vinculo soluti, quique adhuc nexi remanebunt, hinc decernimus praedictos Census, super sylvis supramemoratis, dicto Anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio, et citius etiam si prius antedictae sylvae ab hypotheca saltem pro rata Censuum imponendorum liberatae fuerint, esse imponendos, propthereaque a singulis Dioecesibus immediate saltem post annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium praedictorum Censuum fructus esse percipiendos; ex nunc autem usque ad totum annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium, vel usque ad celeriorem dictorum Censuum impositionem, eamdem argenti summam fructibus Censuum respondentem ab Aerariis Provincialibus unicuique Dioecesi esse numerandam. Ne vero ullo modo numerationis prorogatio ultra annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium timeri

possit, quum forte Magistratus intercesserint, ne Census imponantur, non satis diminuta publici aeris alieni quantitate, laudatus Rex ultro promisit, conceptisque verbis sese obligavit, si praeter omnem expectationem id accidat, se curaturum esse, ut tot agri Regiis impensis emantur pleno dominii iure singulis Ecclesiis tradendi, quot necessarii sint, ut eorum redditus annuas illas summas exaequent, quae a Censibus percipiendae essent, nisi impedimentum illud intercessisset. Quae omnia cum Serenissimus Rex per Diplomata in valida Regni forma a se subscribenda in tuto ponere, sit pollicitus, ut plenum, et integrum effectum suo tempore sortiantur; hinc supradictus Iosephus Episcopus Diplomata huiusmodi singulis Ecclesiis tradet in respectivis Archivis asservanda.

(XLIII.) Similes autem redditus ad formam promissionis Regiae, deductis oneribus, constare debebunt sequentes annuas dotationum summas, nempe pro Archiepiscopo Coloniensi, ac pro Archiepiscopo Gnesnensi, et Posnaniensi duodecim millium thalerorum Borussicorum, pro Episcopis Trevirensi, Monasteriensi, Paderbornensi et Culmensi octo millium thalerorum eiusdem monetae, pro Episcopo vero Wratislaviensi duodecim millium thalerorum dictae monetae, ultra redditus fundi Würbeniani ad eius Episcopalem mensam spectantis pro parte Dioecesis in Regno Borussico, salvis manentibus illis redditibus, quos percepit ex reliqua Dioecesis parte temporali Dominio Charissimi in Christo Filii nostri Francisci Austriae Imperatoris, atque Hungariae, et Bohemiae Regis Apostolici subiecta; quod vero ad Warmiensis Episcopalis mensae dotationem pertinet, firmis bonis, ac redditibus, quibus actu illa mensa gaudet, nihil in praesens innovandum esse declaramus, sed aliquando ad aliarum in Regno Borussico mensarum normam Apostolica interveniente auctoritate fore conformandam.

(XLIV.) Pari methodo Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Capitulum dotabitur in annua Summa pro Praeposito thalerorum Borussicorum bismille, pro Decano thalerorum item bismille, pro quolibet ex duobus primis Canonicis numerariis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus sex Canonicis thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis Canonicis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, pro quolibet demum ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLV.) In Archiepiscopali Ecclesia Gnesnensi pro Prae-

posito, et sex Canonicis quibus illud Capitulum imposterum constabit, ea reddituum quantitas conservabitur, qua Praepositus, et sex Capitulares Seniores actu fruuntur. In Capitulo Archiepiscopalis Ecclesiae Posnaniensis redditus praedicto modo assignabuntur in annua Summa pro Praeposito thalerorum mille octingentorum, pro Decano thalerorum pariter mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex quatuor sequentibus thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLVI.) In Capitulis Cathedralium Ecclesiarum tam Trevirensis, quam Paderbornensis pro Praeposito thalerorum mille quatuor centum, item pro Decano thalerorum mille quatuor centum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille, pro duobus sequentibus thalerorum noningentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet e sex Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLVII.) In Episcopali Ecclesia Monasteriensi, pro Praeposito thalerorum mille octingentorum, ac pariter pro Decano thalerorum mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus quatuor, thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLVIII.) In Ecclesia Cathedrali Culmensi pro Praeposito thalerorum mille biscentum, item pro Decano thalerorum mille biscentum, pro primo Canonico thalerorum mille, pro secundo, thalerorum noningentorum, pro quolibet ex reliquis sex, thalerorum octingentorum, pro quolibet e quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet e sex Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLIX.) In Cathedrali Ecclesia Wratislaviensi, pro Praeposito thalerorum bismille, pro Decano similiter thalerorum bismille, pro primo Canonico Praebendam Scholastici obtinente thalerorum mille quingentorum, pro quolibet e duobus sequentibus thalerorum mille centum, pro quolibet ex aliis septem, thalerorum mille, pro quolibet e sex Canonicis Honorariis tha-

lerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(L.) In Ecclesia vero Episcopali Warmiensi, nihil circa eius Capituli dotationem, et formam ad praesens immutandum esse declaramus, reservata tamen nobis, et Romanis Pontificibus successoribus nostris facultati illos aliquando ad reliquarum Borussici Regni Ecclesiarum normam conformandi.

(LI.) Aquisgranensis praeterea Ecclesiae per nos in Collegiatam ut supra constitutae Capitulum, constans ex unica Praepositi Dignitate, et sex Canonicatibus eamdem annuorum redditum Summam conservabit, quo actu gaudet.

(LII.) Committimus pariter antedicto Iosepho Episcopo Warmiensi, ut Clericorum Seminariis in qualibet Dioecesi opportune constabiliendis firma remanente possessione Bonorum, quae ad praesens obtinent eas vel partiales, vel integras prout necessitas, atque utilitas postulabit Bonorum dotationes attribuet, quae ab adpromissa Serenissimi Borussiae Regis liberalitate suppeditabuntur.

(LIII.) Mandamus quoque eidem Iosepho Episcopo, ut pro cuiuslibet Antistitis decenti residentia, vel vetera Episcopia, si commode fieri poterit, vel alias Domos ad id a praefato Rege in respectivis Civitatibus, atque etiam alteras Ruri, si facile possit concedendas; itemque Domos pro Dignitatibus, Canonicis, et Vicariis, seu Praebendatis, nec non pro Curia Ecclesiastica, pro Capitulo, et Archivo tribuendas opportune statuet, atque assignet.

(LIV.) Ad manutentionem vero Fabricarum tam Metropolitanarum, quam Cathedralium Ecclesiarum, comprehensis quoque suppressis Cathedralibus Corbeiensi, et Aquisgranensi, atque ad divini cultus, ac Inservientium expensas ea Bona, ac redditus etiam in futurum conservabuntur, quae iis usibus iam sunt destinata, quaeque Serenissimus Rex diligentissime servaturum est pollicitus; et in casu extraordinariae necessitatis confidimus fore, ut rebus hisce de Thesauro Regio liberaliter provideatur.

(LV.) Antedicto Iosepho Episcopo praeterea iniungimus, ut cuiuslibet Archiepiscopalis, et Episcopalis Ecclesiae suffraganeatus assuetae congruae Dotatione provideat, utque singulis Archiepiscopis et Episcopis ad satisfaciendum expensis Vicariorum Generalium, et Curiae eam reddituum tribuat quantitatem, quae a praelaudato Borussiae Rege iuxta liberalem, ac providam suam promissionem hisce titulis factam constituetur.

(LVI.) Et quoniam Serenissimus Borussiae Rex ultro Nobis

pollicitus est se non modo Domos illas tam ad alendos emeritos senes, vel infirmos sacerdotes, quam ad coercendos Ecclesiasticos discolos, ubi existunt conservaturum, sed etiam novas, ubi desunt constabiliturum, propterea ipsi Iosepho Episcopo committimus, ut cognitis iis, quae de hac re statuerit praelaudatus Rex, auditisque respectivis Locorum Ordinariis, sub quorum iurisdictione huiusmodi Domus manere debebunt, omnia quae opus erunt circa memoratas Domos earumque congruam dotationem disponat.

(LVII.) Cum vero in suppressis Corbeiensi, et Aquisgranensi Cathedralibus Ecclesiis Sacra reperiantur supellectilia ad Pontificalia in illis exercenda non amplius necessaria, facultatem praedicto Iosepho Episcopo concedimus ea in usum, et commodum Archiepiscopalis Ecclesiae Coloniensis, si opus fuerit, sin minus in usum aliarum Regni Ecclesiarum, quae iis indigeant, libere valeat convertere.

(LVIII.) Habita nunc ratione reddituum supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Regni Borussiae Ecclesiis ad praesens respective adsignatorum, in Libris Camerae Apostolicae prout sequitur, nempe ecclesiam Coloniensem in Florenis mille auri de Camera, Ecclesias invicem unitas Gnesnensem, et Posnaniensem in Florenis pariter Mille, Ecclesiam Wratislaviensem in Florenis Mille centum sexaginta sex cum duobus tertiis, Ecclesiasque Trevirensem, Monasteriensem, Paderbornensem, Culmensem, et Warmiensem in Florenis sexcentum sexaginta sex cum duabus tertiis taxari mandamus.

(LIX.) Ut autem cuncta a Nobis ut supra disposita rite, feliciter, ac celeriter ad optatum exitum perducantur, supradicto Iosepho Episcopo Warmiensi harum Literarum Exequutori deputato omnes, et singulas ad huiusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut praeviis respectivis dotationibus per Instrumenta in valida Regni forma exaranda ad uniuscuiusque Ecclesiae cum suo Capitulo, sive erectionem sive novam ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani circumscriptionem procedere, aliaque omnia ut supra ordinata peragere, atque statuere delegata sibi Apostolica auctoritate libere, et licite possit et valeat; atque ulterius ipsi Iosepho facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in Locis praesertim ab eius residentia remotis executionem unam, seu plures, personam vel personas in simili, vel alia Dignitate Ecclesiastica constitutam, vel constitutas subdelegare, et tam ipse

Iosephus, quam persona, vel personae ab eo sic subdeleganda, vel subdelegandae super quacumque oppositione, in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen in iure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere item, ac licite possint, et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat.

(LX.) Eidem vero Iosepho Episcopo expresse iniungimus ac mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per ab eo Subdelegatos in praesentium Literarum executionem conficiendorum intra Quadrimestre ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat in Archivio Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

(LXI.) Praesentes autem Literas, et in eis contenta, ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo ius, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes cuiusvis status, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa, et individua mentione digni sunt, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimodo, aut non satis auditi fuerint, sive ex alia qualibet etiam laesionis, vel alia iuridica privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, ac substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis Solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda, minime servata, et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque Iuris, facti, vel iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, decretis, aut declarationibus, generalibus vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio certa scientia, et potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas, omnimodo firmitate perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et inte-

gros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis, et Capitulis aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, neque ad id in iudicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, et prorsus inane esse, ac fore volumus, atque decernimus.

(LXII.) Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus privilegiis, quoque Indultis, et Concessionibus quamvis specifica, et individua mentione dignis, omnibusque et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis eorumque totis tenoribus, ac formis, etiam si specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium, et singulorum, effectum latissime, et plenissime ac specialiter, et expresse ex certa scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque.

(LXIII.) Volumus praeterea, ut harum Litterarum Nostrarum Transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, restitutionis, erectionis, unionis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggrega-

tionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, indulti, elargitionis, assignationis, suppletionis, subiectionis, attributionis, statuti, declarationis, commissionis, deputationis, Mandati, Decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo primo Decimo Septimo Kalendas Augusti. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo secundo.

XXXIX. Breve Pii VII. ad capitula regni Borussici directum d. 16. Julii anni 1821.

PIUS P. P. VII.

Dilecti Filii salutem et Apostolicam Benedictionem. Quod de Fidelium isthic degentium salute vehementer solliciti tantopere exoptavimus, omnique studio curavimus, id demum feliciter factum gratulamur, Eo bene juvante, qui Auctor est pacis et Pater totius consolationis. Post tot enim discrimina temporum acerbissimorum Episcopales Sedes in regno isto, quae tot nominibus commendabuntur, instaurare ac pro dominici gregis commoditate apte potuimus ordinare re apprime cum Serenissimo Rege Vestro conciliata, qui animo quo est magno et excelso in censu earumdem liberaliter adtribuendo, studiis Nostris mirifice favit. Universam quidem rationem rei probe cognoscetis ex Apostolicis litteris, quas de ea sub plumbo hac ipsa die expediri mandavimus; nec dubitamus quin non mediocrem consolationem sitis percepturi, quod et plures istius regni Ecclesias e squalore, in quo jacuerant, revocatas, et illustre de Antistitum electione privilegium Vobis perstare animadvertetis; quod certe cum primis et Vestra et Germaniae vota impensissime efflagitabant. Hac tamen occasione speciatim Vos alloqui per epistolam voluimus, nedum ut gratulatione communi Deo benedicamus, sed ut in gravissimo electionum negotio Vestram religionem, prudentiam, integritatem vehementissime excitemus. Sint Vobis ob oculos, (dicimus animi sensu quo maxime possumus sollicito) sint Vobis ob oculos jugiter, quae Tridentina Synodus dissertissime praescripsit iis omnibus, qui ad promotionem praeficiendorum quacumque ratione operam suam praestant. (Sess. 24. Cap. 1. de Ref. et Sess. 6. cap. 1. de Ref.) De omnipotentis

Dei gloria res est, et bono animarum, de aeterna salute etiam Vestra. Non alium idcirco finem in suffragatione habere Vos oportet, nisi ut religionis utilitatibus et gregis incolumitati consultatis: alienis autem Vos peccatis communicare, affirmant Tridentini Patres, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum existentibus meritis iudicaveritis, praefici diligenter curetis: Vestri quippe studii ac suffragii rationem reddetis ipsi Deo, qui requiret de manibus Vestris sanguinem ovium, si quae ex malo Pastorum regimine interierint. Cum vero ad religionis incrementa, utilioremque Episcopalis muneris procurationem summopere intersit, mutuam servari utriusque potestatis concordiam, quandoquidem ex Ivonis Carnotensis testimoniis, cum Regnum et Sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia: *Vestrarum partium erit, eos adsciscere, quos,* praeter qualitates caeteras ecclesiastico jure praefinitas, *prudentiae insuper laude commendari, nec Serenissimo Regi minus gratos esse noveritis, de quibus antequam solemnem electionis actum ex Canonum regulis rite celebretis, ut Vobis constet curabitis.*

Quamquam vero Serenissimi Regis desideriis annuentes in praedictis Nostris literis constituerimus, eligendos ad Borussiae Ecclesias, eiusdem regni incolas esse debere, non idcirco tamen eos omnes, qui extra idem regnum morantur, nulla exceptione facta, esse a Vobis intendimus excludendos. Si enim in presbyterum ex Germanica natione, praecipua laude praeclarum, qui extra Borussiae ditionis fines habitet, vota Vestra inclinent, eum, assentiente Rege, in Episcopum eligi a Vobis posse, libentissime declaramus.

Haec dilecti Filii, a pia et religiosa circumspectione Vestra fidenter exquirimus, omnemque idcirco in Vos pastoralis ac paternae Nostrae cohortationis vim effundimus, ut eos Nobis confirmandos exhibeatis Antisites, de quorum electione omnipotenti Deo gratias agere, fidem Vestram laudare, Ecclesiis ex animo gratulari, Nobis denique in Domino gaudere possimus. Quae ut prospere et e sententia succedant, divini praesidii pignus, Apostolicam Benedictionem Vobis impertimur ex corde.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 16. Julii anni 1821. Pontificatus Nostri anno XXII.

Pius P. P. VII.

XL. Königl. Preuss. Kabinets-Ordre vom 23. August 1821.

Da die Mir von Ihnen vorgelegte päpstliche Bulle, welche mit den Worten: De salute animarum anhebt, und aus Rom vom 16. Juli d. J. (XVII. Cal. Aug.) datirt ist, nach ihrem wesentlichen Inhalte mit jener Verabredung zusammenstimmt, die unter dem 25. März d. J. in Betreff der Einrichtung, Ausstattung und Begrenzung der Erzbisthümer und Bisthümer der katholischen Kirche des Staats, und aller darauf Bezug habenden Gegenstände, getroffen, auch von Mir bereits unter dem 9. Juni d. J. genehmigt worden ist; so will Ich, auf Ihren Antrag, auch dem wesentlichen Inhalt dieser Bulle, nämlich dem, was die auf vorerwähnte Gegenstände sich beziehenden sachlichen Verfügungen betrifft, hierdurch Meine Königliche Billigung und Sanction ertheilen, Kraft deren diese Verfügungen als bindendes Statut der katholischen Kirche des Staats von allen die es angeht zu beobachten sind.

Diese Meine Königliche Billigung und Sanction ertheile Ich vermöge Meiner Majestätsrechte, und diesen Rechten, wie auch allen Meinen Unterthanen evangelischer Religion, und der evangelischen Kirche des Staats, unbeschadet.

Demnach ist ein Abdruck dieser Bulle in die Gesetzsammlung aufzunehmen und für die Ausführung derselben durch das Ministerium der geistlichen Angelegenheiten zu sorgen.

Berlin, den 23. August 1821.

Friedrich Wilhelm.

An den Staats-Kanzler Herrn
Fürsten v. Hardenberg.

XLI. Auszug aus der Preuss. Verfassung vom 31. Januar 1850.

Art. 12. Die Freiheit des religiösen Bekenntnisses, der Vereinigung zu Religions-Gesellschaften (Art. 31 und 32) und der gemeinsamen häuslichen und öffentlichen Religionsübung wird gewährleistet. Der Genuss der bürgerlichen und staatsbürgerlichen Rechte ist unabhängig von dem religiösen Bekenntnisse. Den bürgerlichen und staatsbürgerlichen Pflichten darf durch die Ausübung der Religionsfreiheit kein Abbruch geschehen.

Art. 13. Die Religions-Gesellschaften, so wie die geistli-

chen Gesellschaften, welche keine Korporationsrechte haben, können diese Rechte nur durch besondere Gesetze erlangen.

Art. 14. Die christliche Religion wird bei denjenigen Einrichtungen des Staats, welche mit der Religionsübung im Zusammenhange stehen, unbeschadet der im Art. 12. gewährleisteten Religionsfreiheit, zum Grunde gelegt.

Art. 15. Die evangelische und die römisch-katholische Kirche, so wie jede andere Religions-Gesellschaft, ordnet und verwaltet ihre Angelegenheiten selbstständig und bleibt im Besitz und Genuss der für ihre Kultus-, Unterrichts- und Wohlthätigkeitszwecke bestimmten Anstalten, Stiftungen und Fonds.

Art. 16. Der Verkehr der Religions-Gesellschaften mit ihren Oberen ist unbehindert. Die Bekanntmachung kirchlicher Anordnungen ist nur denjenigen Beschränkungen unterworfen, welchen alle übrigen Veröffentlichungen unterliegen.

Art. 17. Ueber das Kirchenpatronat und die Bedingungen, unter welchen dasselbe aufgehoben werden kann, wird ein besonderes Gesetz ergehen.

Art. 18. Das Ernennungs-, Vorschlags-, Wahl- und Bestätigungsrecht bei Besetzung kirchlicher Stellen ist, soweit es dem Staate zusteht und nicht auf dem Patronat oder besonderen Rechtstiteln beruht, aufgehoben.

Auf die Anstellung von Geistlichen beim Militair und an öffentlichen Anstalten findet diese Bestimmung keine Anwendung.

XLII. Bulla circumscriptionis Dioecesium Regni Hannoveriani d. 26. Martii 1824.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

(I.) Impensa Romanorum Pontificum sollicitudo, qua in universae Catholicae Ecclesiae bonum advigilant, ad ea procuranda ipsos compellit, quibus Fidelis Populi commoditati consulatur, ut pro locorum, ac temporum ratione facilius ad ea pertrahatur, quae sint Divini Cultus, quaeque ad aeternam animarum salutem valeant conducere. Hinc assiduis ipsi studiis in id semper connisi sunt, ut Dominico Gregi nunquam deessent Pastores, qui eum in salutaria pascua deducerent, et in iustitiae semitis retinerent.

(II.) Id sane potissimum intendit Praedecessor Noster felicis recordationis Pius Septimus pro cura, quam in Religionis

utilitates, ubi maxime de ipsius discrimine metuendum videbatur, enixe impendebat, quando post teterrimas praeteritorum temporum calamitates omnibus in tota Germania Episcopalibus Sedibus opportune prospicere studuit, cogitationesque suas pariter convertit ad duas antiquitate et dignitate praestantes Ecclesias, Hildesimensem scilicet, atque Osnabrugensem, quae usque a Caroli Magni aevo suam ducunt originem, quaeque nunc intra fines Hannoveriani Regni continentur.

(III.) Re propterea collata cum Serenissimo Georgio Quarto Regnorum Magnae Brittaniae et Hiberniae unitorum, nec non Hannoverae Rege, ac Brunswicensi, et Luneburgensi Duce, laudatus pontifex, auditis etiam nonnullis ex venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de faciliori ratione deliberandum censuit, quae in tanta rerum conversione occurrebat, unice ad binas illas Episcopales Sedes cum suis Capitulis aliquo pacto conservandas, atque ad dotem ipsis, ac Dioeceses, quo posset aptius praefiniendas.

(IV.) Cumque Nos, meritis licet imparibus, ad Summi Pontificatus apicem Divina sic disponente benignitate fuerimus evocati, in id etiam sedulo incumbere debuimus, ne de illa Catholici Gregis portione minus solliciti videremur. Perspeximus quidem a Sacrorum Canonum rigore haud mediocriter temperandum fuisse, multumque locorum, temporum, ac personarum conditioni, aliisque id genus peculiaribus adiunctis tribuendum. Ast cum maxime congruat, Praedecessorum vestigiis inhaerere, atque ad exitum perducere, quae Pius Septimus morte praeventus nequivit Apostolicae Auctoritatis munimine roborare, novum in Hannoveriano Regno Ecclesiarum, et Capitulorum statum novosque Dioecesium limites ad eorum normam, quae laudatus Praedecessor duxerat admittenda, constitui necessarium conspeximus.

(V.) Habentes igitur pro expressis, ac de verbo ad verbum prolatis iis omnibus, quae praedictarum Ecclesiarum, et Capitulorum anteriora iura, privilegia, ac praerogativas respiciunt, et consensui supplentes eorum omnium, quorum intersit, de Apostolicae potestatis plenitudine, praevia omnimoda suppressione, extinctione, et cessatione prioris status Earundem Ecclesiarum et Capitulorum, decernimus, quod ex nunc in posterum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Hildesimensis efformetur ab unica Decanatus Dignitate, et Sex Canonicis, ac quatuor Vicariis seu Praebendatis.

(VI.) Mensae Episcopalis annui redditus erunt in Summa Quatuor mille thalerorum monetae conventionalis, ut infra percipiendorum, ac insuper aedes pro decenti habitatione, si non adsint, noviter Episcopo erunt attribuendae.

(VII.) Decanus Capituli Cathedralis annuo redditu Thalerorum mille quingentorum monetae conventionalis, duo Canonici Seniores mille quatuor centum, tertius, et quartus Canonicus mille, postremi duo Canonici octingentorum, ac quatuor Vicarii, seu Praebendati quatuorcentum ut infra percipiendorum, respective gaudebunt, atque insuper Decanus, quilibet Canonicus, et duo Vicarii in ordine priores Domos habebunt, unicuique eorum Praebendae assignandas.

(VIII.) Ad huiusmodi autem redditus constituendos praefatus Georgius Rex spopondit intra quadriennium a data praesentium numerandum tot Fundos, ac bona stabilia, Decimas, et census reales iisdem Episcopo, et Capitulo ea, qua singulis par est quantitate, se traditurum, quot praedictis annuis adsignatis redditibus ab omni cuiuscumque generis onere prorsus liberis et immunibus respondeant, ita tamen, ut antea per infrascriptum harum Litterarum Exequutorem Apostolicae Sedis iudicio subiiciantur, quo accurate perpenso necessariam ab ipsa adprobationem nanciscantur. Interea vero, donec isthaec reddituum adsignatio in Fundis ac Bonis stabilibus, Decimis, Censibusque realibus locum habeat, memoratae Summae Episcopo, et Capitulo a Thesauro Regio quotannis in pecunia numerata integre, ac libere erunt persolvendae.

(IX.) Quod vero spectat Ecclesiam Osnabrugensem, quoniam praesentes rerum circumstantiae utramque Ecclesiam dotari posse non sinunt, nova ipsius Osnabrugensis Episcopalis Mensae, Capituli, ac Seminarii dotatio suspensa perstet: usquedum necessaria ad id suppetant media, quo casu in fundis, bonis stabilibus, decimis, censibusque realibus erit perficienda. Atque tunc Osnabrugensis Episcopus non secus ac Episcopus Hildesimensis annuo redditu Quatuor millium Thalerorum monetae conventionalis in supramemoratis bonis gaudebit, Capitulum eodem, ac Hildesimense Capitularium, et Vicariorum numero constabit, paresque redditus annui eisdem respective assignabuntur; nec non Episcopali Seminario ea reddituum annua summa tribuetur, quae necessitatibus, et utilitati Dioecesis valeat respondere.

(X.) Quamdiu autem Episcopatus Osnabrugensis dotatio suspensa manebit, Episcopali Mensae Hildesimensi augmentum

bismille Thalerorum e Bonis Ecclesiasticis in Provincia Osnabrugensi sitis percipiendorum, itemque Decano Hildesimensis Capituli augmentum tercentum Thalerorum assignabitur, ab ipsis annuatim respective percipiendorum, perdurante tantummodo praedicta dotationis Episcopatus Osnabrugensis suspensione.

(XI.) Atque interea, ne Dioecesis Osnabrugensis, cui ob eas rationes designari in praesens Antistes nequit, legitimo careat Rei Sacrae regimine, mandamus, ut Venerabilis Frater Carolus de Gruben, Episcopus Parensis in partibus Infidelium, eiusdemque Osnabrugensis Ecclesiae suffraganeus Dioecesim ipsam, quoad vixerit, gubernare prosequatur, eoque defuncto Hildesimensis pro tempore Episcopus Dioecesim quoque Osnabrugensem facultatibus ad id ab Apostolica Sede qualibet vice sibi speciatim delegandis administrare, suumque Vicarium in Spiritualibus Generalem, qui in Civitate Osnabrugensi resideat, debeat adsciscere. Qui quidem Vicarius, dummodo vere dignus, et idoneus iudicatus fuerit, a Romano Pontifice titulo alicuius Episcopalis Ecclesiae in partibus Infidelium, servatis omnibus servandis, decorabitur ad hoc, ut pontificalia in ipsa Civitate, et Dioecesi Osnabrugensi exercere possit, et valeat. Eidem idcirco Vicario Generali Osnabrugensi pro sua, et Episcopalis Curiae dotatione annua persolvenda erit summa trium millium Thalerorum monetae conventionalis a praelaudati Serenissimi Regis liberali munificentia promissa, quae in ipsius Vicarii Generalis congruam, et in annuam laboribus respondentem mercedem Ecclesiasticorum, qui suam eidem in ea procuratione operam commodabunt, erit impendenda.

(XII.) Donec autem proprium Osnabrugense Seminarium erigi potuerit, huiusce Dioecesis Clerici alentur, atque educabuntur in Episcopali Seminario Hildesimensi, cui propterea bona, ac redditus, quibus actu gaudet, integre conservabuntur: quod idem dictum volumus de bonis ac redditibus in tuitionem Aedium Sacrarum, tam Hildesimensis, quam Osnabrugensis, atque in sumptus Divini Cultus, ac Ministrorum mercedem adsignatis.

(XIII.) Quotiescumque vere aliqua ex supradictis Sedibus Episcopalibus, tam Hildesimensi, quam Osnabrugensi, quae ambae perpetuis futuris temporibus immediate subiectae erunt Apostolicae Sedi, vacaverit, illius Cathedralis Ecclesiae Capitulum intra Mensem a die vocationis computandum Regios Ministros certiores fieri curabit de nominibus Candidatorum a Clero totius

Regni selectorum, quorum unusquisque trigesimum suae aetatis annum ad minimum compleverit, et indigenatu praeditus sit, studia in Theologia, et Iure Canonico cum laude absolverit, curam animarum, aut munus Professoris in Seminariis egregie exercuerit, aut in administrandis negotiis Ecclesiasticis excelluerit, optima fama gaudeat, sana doctrina, et integris sit moribus. At si forte aliquis ex Candidatis ipsis Gubernio sit minus gratus, Capitulum e catologo eum expunget, reliquo tamen manente sufficienti Candidatorum numero, ex quo novus Episcopus eligi valeat. Tunc vero Capitulum ad Canonicam Electionem in Episcopum unius ex Candidatis, qui supererunt, iuxta consuetas formas procedet, ac documentum electionis in forma authentica intra mensem ad Summum Pontificem perferri curabit.

(XIV.) Confectio autem Processus informativi super qualitatibus Promovendorum ad regimen Episcopalium Ecclesiarum Regni Hannoveriani, vel Episcopo alterius Sedis non vacantis, vel Ecclesiastico illius Regni Viro in Dignitate constituta a Romano Pontifice committetur, et ad formam Instructionis ab Apostolica Sede in singulis casibus transmittendae exarabitur, quo accepto Summus Pontifex, si compererit Promovendum instructum iis dotibus, quas Sacri Canones in Episcopo requirunt, eum, quo citius fieri poterit, iuxta statutas formas per Apostolicas Litteras confirmabit.

(XV.) Si vero, aut Electio minime fuerit Canonice peracta, aut Promovendus praedictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia indulgemus, quod Cathedrale Capitulum ad novam Electionem ut supra Canonica methodo valeat procedere.

(XVI.) Novus Episcopus ab alteri Regni Episcopo iam consecrato, atque facultatem expresse ad id ab Apostolica Sede habente, assistentibus duobus aliis Episcopis ad hoc rogatis, et in eorum defectum duobus Praelatis Pontificalium usum Habentibus, vel his quoque deficientibus duobus Presbyteris e Regni Clero in Ecclesiastica Dignitate constitutis consecrabitur.

(XVII.) In Capitularium numerum alii non admittentur, nisi qui indigenatu, et qualitatibus a Sacris Canonibus requisitis praediti sint, triginta saltem annorum aetatem habeant, et in Prebyteratus Ordine sint constituti, quique in exercenda cura Animarum, vel in alio obeundo Ecclesiastico Ministerio, vel Professoris munere in Seminario Episcopali conspicuos sese reddiderint.

(XVIII.) Quotiescumque vero Decanatus, aut Canonicatus,

vel Vicariatus in Cathedralibus vacaverit, Episcopus, et Capitulum alternis vicibus intra sex hebdomadas a die vacationis proponent quatuor Candidatos supraenuntiatis praeditos qualitatibus. Quod si forte aliquis ex ipsis Candidatis Gubernio invisus, aut suspectus sit, id quamprimum Episcopo respective, aut Capitulo indicari poterit, ut expungatur: tunc autem Episcopus ad collationem Decanatus, Canonicatus, aut Vicariatus, vel respective Capitulum intra quatuor hebdomadas procedet ad nominationem unius ex Personis Gubernio non invisis, nec suspectis, cui Episcopus canonicam dabit Institutionem.

(XIX.) Ad novam nunc procedendo circumscriptionem Dioecesium Episcopatus Hildesimensis, qui actu a Venerabili Fratre Francisco Egone a Fürstenberg moderno eius Episcopo gubernatur, et Osnabrugensis, qui suo a pluribus annis orbata Pastore a supramemorato Carolo Episcopo Parensi, ac eiusdem Osnabrugensis Ecclesiae Suffraganeo cum Apostolicis sibi delegatis facultatibus administratur, praevia dismembratione, separatione, ac immutatione a quorumcumque Metropolitanorum, Episcoporum, seu Ordinariorum, ac Vicariorum Apostolicorum iurisdictione, superioritate, ac potestate omnium, et singularum Civitatum, Terrarum, ac Paroeciarum intra Regni Hannoveriani limites comprehensarum decernimus, prout a Pio VII. Praedecessore Nostro designatum fuerat, ut Regnum ipsum in duas omnino Dioeceses a cursu fluminis Visurgis vulgo — Weser — nuncupati tanquam suis limitibus separatus dividatur, ita ut Paroeciae ad dexteram eiusdem Fluminis partem sitae Dioecesi Hildesimensi, Paroeciae autem ad sinistram Visurgis Ripam positae Dioecesi Osnabrugensi respective assignentur, prout sequitur, videlicet:

(XX.) Dioecesis Hildesimensis efformabitur a sequentibus quinquaginta quinque Parochialibus Ecclesiis ad ipsam Hildesimensem Dioecesim iam pertinentibus, nempe — Achtum — Adlum — Ahrbergen — Gros-Algermissen — Asel — Bauenstedt — Bettmar — Bilderlah — Bokenem — Bolzum — Borsum — Dettfurt — Dingelbe — Dinklar — Dorstadt — Gross-Düngen — Emmerke — Gross-Giesen — Grasdorf — Grauhoff — Gronau — Goslar — Harsum — Heinig — Ecclesiae Cathedralis — S. Godebardi — S. Magdalenae — SSmae Crucis in Civitate Hildesheim sitae — Hennekenrode — Himmelsthür — Hohenhameln — Hunnesrück — Itzum — Lamspringe — — Liebenburg — Marienrode — Moritzberg — Ottbergen —

Peine — Poppenburg — Ringelhein — Ruthe — Schladen — Söder — Sohre — Sorsum — Sottrum — Steinbruck — Vienenburg — Gross - Vörste — Westfeld — Wiedelah — Winzenburg — Wöhle — Woldenberg —; Atque insuper a viginti Parochialibus, ac tredecim Curatis Succursalibus nuncupatis Ecclesiis in Provincia Eichsfeldiae positis, et antiquae Metropolitanae Ecclesiae Moguntinae, seu Ratisbonensi olim subiectis, quae in praesentiarum a Venerabili Fratre Carolo Friderico de Wendt Episcopo Basinopolitano in partibus Infidelium, ac Hildesimensis Ecclesiae Suffraganeo uti Vicario Apostolico administrantur, videlicet Paroecia — Duderstadt — cum tribus Succursalibus Ecclesiis — Gerblingerode — Fisslingerode, — et Westerode — nuncupatis, ac Paroeciis — Breitenberg — Desingerode — cum duabus succursalibus Ecclesiis — Werxhausen, et Esplingerode — denominatis, necnon Paroeciis — Immingerode — Nesselroeden — Seulingen — Seeburg — Bernshausen — cum succursali — Germershausen — atque Paroeciis — Lindau — Bilshausen — Crebeck — cum succursali — Bodensee, et Parochialibus Ecclesiis — Wolbrandshausen — Gieboldehausen — Rolshausen — Rudenshausen — Rhumspringe — cum succursali Hilkerode: — Paroecia quoque — Fuhrbach — cum duabus succursalibus — Langenhagen —, et Brochthausen, — necnon Paroecia — Oberfeld — cum succursali — Mingerode: — Paroecia quoque — Noerthen cum duabus Ecclesiis succursalibus, ac Paroecia — Renshausen —; Denique a tribus Paroeciis — Hannover — Göttingen —, et Celle — vulgo nuncupatis, quae hactenus a supradicto moderno Episcopo Hildesimensi Missionum septemtrionalium Vicario Apostolico fuerunt spiritualiter gubernatae.

(XXI.) Dioecesis Osnabrugensis constabit ex sequentibus Decanatibus, videlicet ex Decanatu Ecclesiae Cathedralis, et Civitatis Osnabrugensis septem continente Paroecias, quarum duae reperiuntur in Civitate ipsa Osnabrugensi, reliquae vero in ipsius Territorio, nuncupanturque — Bellm — Bissendorf — Rulle — Scheldehausen, — et Wallenhorst; — ex Decanatu — Iburg — vulgo denominato septem pariter complectente Paroecias, ut sequitur nuncupatas, id est — Bergloh — Glandorf — Glane — Hagen — Iburg — Laer, — et Oesede; ex Decanatu — Fürstenau — qui undecim sequentes complectitur Paroecias, nempe — Berge — Fürstenau — Merzen — Neuenkirchen — Schwagstorf — Volthlage — Alfhausen — Anhum

— Badbergen — Berssenbrück, — et Quakenbrück; — ex Decanatu — Vörden, — nuncupato, qui undecim sequentes complectitur Paroecias, videlicet — Lage — Malgarten — Vörden — Bomte — Hunteburg — Osterkappeln — Sanctae Annae — Gesmold — Melle — Riemsloh — Wellingholthausen; — necnon partes illas Paroeciarum — Damme, — et Neuenkirchen, quae intra limites Regni Hannoveriani reperiuntur; ex Archipresbyteratu inferioris Comitatus — Lingen — duodecim continente Paroecias, videlicet — Bawinkel — Beesten — Freren — Lengerich — Messingen — Schapen — Thuine — Baccum — Bramsche — Lingen — Plantlünne, — et Spelle; — necnon ex Viginti septem Paroeciis in Districtu de — Meppen — comprehensis, et ad Monasteriensem Dioecesim iam pertinentibus, videlicet — Aschendorf — Beesen — Bokeloe — Bürger — Dörpen — Emsbüren — Haren — Haselünne — Heede — Herzlake — Hesepe — Holte — Laten — Lorup — Meppen — Papenburg Ecclesia Principalis, ac alia eiusdem nominis Ecclesia Succursalis — Rhede — Ruttenbrock — Steinbild — Sögel — Schepsdorff — Salzbergen — Twiest — Twiestingen — Werlte, et Wesuwe. — Tres quoque adiunguntur Paroeciae in Frisia Orientali positae, et praefatae Monasteriensi Dioecesi iam subiectae, quae — Emden — Leer — et Norden — vulgo nuncupantur. Et postremo octo Paroeciae, quae reperiuntur in Comitatu — de Bentheim — actu a Regno Hannoveriano in temporalibus dependentes, et hactenus a praefato Monasteriensi Episcopo gubernatae, nempe — Bentheim — Brandlecht — Emblicheim — Laerwalde seu Wolda — Nordhorn — Neuenhaus — Schüttorff, — et Wittmarschen.

(XXII.) Praedictos vero Decanatus, Paroecias, et Loca Episcopis pro tempore Hildesimensi, et Osnabrugensi pro eorum respective Dioecesibus attributa, eorumque Incolas utriusque sexus, tam Clericos, quam Laicos iisdem Ecclesiis, eorumque Praesulibus pro suis respective Territorio, Dioecesi, Clero, et Populo perpetuo assignamus, et in spiritualibus omnimodo subiicimus propterea que statim ac praesentes Litterae plenariae fuerint Exequutioni mandatae, omnis Antiquorum Metropolitanorum, Ordinariorum, Vicariorum Apostolicorum, seu Administratorum iurisdictio in supradictis locis, Decanatibus, et Paroeciis cessare debebit, omnesque tunc facultates in Locis, et Partibus ab eorum iurisdictione subtractis nullius roboris, vel momenti amplius futuras declaramus.

(XXIII.) Ut insuper commoditati Populorum sic ut supra respectivis Episcopis subiectorum consulatur, praescribimus, ut omnia, et singula documenta respicientia Ecclesias, et Loca ut supra dismembrata, et de novo applicata a veteribus Cancellariis extrahi, et Cancellariis Dioecesium, quibus erunt incorporata, debeant opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo asservari.

(XXIV.) Habita modo ratione reddituum Episcopalis Mensae Hildesimensis de more taxari in Florenis septingentis quinquaginta sex Auri de Camera, et huiusmodi Taxam in libris Camerae Nostrae Apostolicae describi mandamus. Quod vero spectat Episcopalem mensem Osnabrugensem, quando locus factus fuerit illius dotationi ut supra enuntiatae, Ecclesiam ipsam de more taxari in Florenis sexcentum sexaginta sex Auri de Camera cum duobus tertiis, eandemque Taxam in Libris Apostolicae Camerae similiter describi mandamus.

(XXV.) Denique, ut cuncta a Nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, supradictum Franciscum Egonem Episcopum Hildesimensem in harum Litterarum Apostolicarum Exequutorem cum omnibus et singulis necessariis, et opportunis facultatibus deputamus, ut praeviis respectivis dotationibus in valida forma perficiendis ad uniuscuiusque Ecclesiae cum suo Capitulo novam Ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani Circumscriptionem procedere, aliaque omnia in supra ordinata peragere, et statuere, delegata sibi Apostolica Auctoritate libere, ac licite possit, et valeat, atque ulterius ipso Francisco Egoni Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis Exequutionem quamcumque Personam, seu Personas in Ecclesiastica Dignitate constitutam, vel constitutas subdelegare, ac tam ipse, quam Persona, vel Personae ab eo sic subdeleganda, vel subdelegandae super quacumque oppositione in Actu Exequutionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare, libere item, ac licite possint, et valeant, ac quilibet eorum respective possit, et valeat.

(XXVI.) Eidem insuper Francisco Egoni Episcopo expresse iniungimus, ut exempla singulorum Actorum, tam per se, quam suos subdelegatos in harum litterarum Exequutionem conficiendorum, intra quadrimestrem ab ipsarum expleta Exequutione ad Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat in Archivio

Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

(XXVII.) Praesentes autem Litteras, et in eis contenta, ac statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo ius, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa, et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimodo, aut non satis auditi fuerint, sive ex quolibet etiam laesionis, vel alia iuridica, privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quamtumvis magno inexcogitato, substantiali, ac substantialissimo sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, vel facti, aut iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, aut declarationibus generalibus, vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio, certa scientia, et potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas omnimodo firmitate perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ob omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis, et Capitulis, aliisque, quorum favorum praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, neque ad id in iudicio vel extra cogi, seu com-

pelli posse; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse, ac fore volumus, atque decernimus.

(XXVIII.) Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, et Concessionibus quamvis specifica, et individua mentione dignis, omnibusque, et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus: Quibus omnibus, et singulis, eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

(XXIX.) Volumus item, ut harum Litterarum Nostrarum Transsumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

(XXX.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Suppressionis, Extinctionis, Annullationis, Dismembrationis, Separationis, Unionis, Circumscriptionis, Assignationis, Indulti, Subiectionis, Suppletionis, Declarationis, Deputationis, Commissionis, Mandati, Decreti, Derogationis, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo Quarto Septimo Kalendas Aprilis Pontificatus Nostri Anno Primo.

A. G. Card. Pro-Datarius.

J. Card. Albanus.

Visa de Curia: D. Testa.

Loco † Plumbi. F. Lavizzarius.

XLIII. Hannover. Gesetz vom 20. Mai 1824.

Georg IV., von Gottes Gnaden, König von Grossbritannien und Hannover u. s. w. Nachdem Wir die von Seiner päpstlichen Heiligkeit am 26. März 1824 zu Rom erlassene Eintheilungs-Bulle der Diöcesen, welche mit den Worten: Impensa Romanorum Pontificum anfängt, einer umständlichen und sorgfältigen Prüfung unterworfen, und Uns überzeugt haben, dass dieselbe ihrem wesentlichen Inhalte nach mit den Verhandlungen und Verabredungen völlig übereinstimme, welche mit dem päpstlichen Stuhle in Beziehung auf die Errichtung der Bisthümer und Capitel, deren Besetzung und Ausstattung, wie auch der Begrenzung der Diöcesen der katholischen Kirche in Unserem Königreiche Hannover Statt gefunden haben, so verordnen Wir wie folgt: 1) Kraft Unserer Majestätsrechte ertheilen Wir den auf die vorher namhaft gemachten Gegenstände sich beziehenden Verfügungen der erwähnten päpstlichen Bulle Unsere Königliche Genehmigung. Es sollen demnach Alle, die es betrifft, jene Verfügungen als ein verbindendes Statut der katholischen Kirche in Unserem Königreiche Hannover zu beobachten und zu befolgen haben. 2) Die Genehmigung vorgedachter Bulle wird, wie sich ohnehin versteht, nicht anders ertheilt, als unbeschadet Unserer Majestätsrechte und der Rechte Unserer Unterthanen evangelischer Religion und der evangelischen Kirche im Königreiche. 3) Ein Abdruck jener päpstlichen Bulle soll in lateinischer Sprache sowohl als in deutscher Sprache diesem Unserem landesherrlichen Genehmigungspatente angehängt, und in die erste Abtheilung der Gesetzsammlung aufgenommen werden.

Gegeben zu Carltonhouse, am 20. Mai 1824.

Georg Rex.
Graf Münster.

XLIV. Kaiserl. Oesterr. Verordnung vom 12. April 1850, betreffend das Verhältniss der katholischen Kirche zur Staatsgewalt.

Zum Vollzug der durch §. 2. des Patentes vom 4. März 1849 der katholischen Kirche verbürgten Rechte, genehmige Ich über Antrag Meines Ministers des Cultes und Unterrichtes und auf Einrathen Meines Ministerrathes für alle Kronlän-

der Meines Reiches, für welches jenes Patent erflossen ist, nachstehende Bestimmungen:

§. 1. Sowohl den Bischöfen, als den ihnen unterstehenden Gläubigen steht es frei, sich in geistlichen Angelegenheiten an den Papst zu wenden, und die Entscheidungen und Anordnungen des Papstes zu empfangen, ohne dabei an eine vorläufige Zustimmung der weltlichen Behörden gebunden zu sein.

§. 2. Den katholischen Bischöfen steht es frei, über Gegenstände ihrer Amtsgewalt und innerhalb der Gränzen derselben an ihren Clerus und ihre Gemeinden ohne vorläufige Genehmigung der Staatsbehörde Ermahnungen und Anordnungen zu erlassen; sie haben jedoch von ihren Erlässen, in so ferne sie äussere Wirkungen nach sich ziehen, oder öffentlich kund gemacht werden sollen, gleichzeitig den Regierungsbehörden, in deren Bereich die Kundmachung erfolgen, oder die Anwendung geschehen soll, Abschriften mitzutheilen.

§. 3. Die Verordnungen, durch welche die Kirchengewalt bisher gehindert war, Kirchenstrafen, die auf bürgerliche Rechte keine Rückwirkung üben, zu verhängen, werden ausser Kraft gesetzt.

§. 4. Der geistlichen Gewalt steht das Recht zu, Jene, welche die Kirchenämter nicht der übernommenen Verpflichtungen gemäss verwalten, in der durch das Kirchengesetz bestimmten Form zu suspendiren oder abzusetzen, und sie der mit dem Amte verbundenen Einkünfte verlustig zu erklären.

§. 5. Zur Durchführung des Erkenntnisses kann die Mitwirkung der Staatsbehörden in Anspruch genommen werden, wenn denselben der ordnungsmässige Vorgang der geistlichen Behörde durch Mittheilung der Untersuchungsacten nachgewiesen wird.

§. 6. Mit der Durchführung dieser Bestimmungen ist Mein Minister des Cultus und Unterrichtes beauftragt.

Meine Behörden sind anzuweisen, dass, wenn ein katholischer Geistlicher seine Stellung und die ihm in derselben für kirchliche Zwecke zustehenden Befugnisse zu anderen Zwecken in der Art missbraucht, dass seine Entfernung vom Amte für nothwendig erkannt wird, sie sich deshalb vorerst mit seinen kirchlichen Vorgesetzten ins Einvernehmen setzen.

Den Gerichtsbehörden ist zu verordnen, dass, wenn ein katholischer Geistlicher wegen Verbrechen oder Vergehen ver-

urtheilt wird, dem Bischofe die Verhandlungsacten auf sein Verlangen mitgetheilt werden.

In der Mir zustehenden Ernennung der Bischöfe erkenne Ich ein von Meinen erlauchten Vorfahren überkommenes Recht, welches Ich gewissenhaft zum Heile und zum Frommen der Kirche und des Reiches auszuüben gedenke. Um bei der Auswahl der Person das Beste der Kirche zu wahren, werde Ich stets geneigt sein, bei Besetzung von Bisthümern, wie dies auch bisher in Uebung war, den Rath von Bischöfen, und namentlich von Bischöfen der Kirchenprovinz, in welcher das Bisthum erledigt ist, zu hören.

Ueber die bei Ausübung der landesfürstlichen Rechte in Betreff der Besetzung geistlicher Aemter und Pfründen zu beobachtende Form hat Mein Minister des Cultus und Unterrichtes Mir die geeigneten Anträge zu erstatten.

Zur Durchführung der von der Versammlung der Bischöfe in Betreff der Bedingung zur Erlangung von Domherrnstellen, der Domicellar-Canonicate, dann in Betreff der Wahl-Capitel zu Olmütz und Salzburg beschlossenen Massregeln sind die Bischöfe, in so weit Meine Regierung dazu mitzuwirken berufen ist, kräftigst zu unterstützen.

Die vollständige Durchführung der von der Versammlung der Bischöfe über die Pfarr-Concurs-Prüfung getroffenen Bestimmungen soll, unter dem Vorbehalte, dass dieselbe nicht ohne mit der Regierung gepflogene Rücksprache abgeändert werden, kein Hinderniss finden, jedoch soll dort, wo, und in so weit, als jene Beschlüsse nicht zur Richtschnur genommen werden, bei der Pfarr-Concurs-Prüfung nach den bisherigen Anordnungen vorgegangen werden.

Ich genehmige, dass es jedem Bischofe freistehen soll, den Gottesdienst in seiner Diöcese im Sinne der von der Versammlung der Bischöfe gefassten Beschlüsse zu ordnen und zu leiten.

Meine Behörden sind anzuweisen, auf Grundlage der bestehenden Gesetze darüber zu wachen, dass an Orten, wo die katholische Bevölkerung die Mehrzahl bildet, die Feier der Sonn- und katholischen Festtage nicht durch geräuschvolle Arbeiten oder durch öffentlichen Handelsbetrieb gestört werde.

Im Uebrigen nehme Ich den Inhalt der Mir vorgelegten Eingaben der Versammlung der Bischöfe zur Kenntniss, und ermächtige Meinen Minister des Cultus und Unterrichtes, solche in Gemässheit der in diesem Vortrage entwickelten Ansichten

zu erledigen. Ueber die noch unerledigten Fragen sind Mir die geeigneten Anträge mit thunlicher Beschleunigung zu erstatten, und insoferne ein Einvernehmen mit dem päpstlichen Stuhle nothwendig ist, sind hiezu die nöthigen Vorbereitungen und Einleitungen zu treffen.

Dieses Einvernehmen wird sich auch auf die Regelung des Einflusses zu erstrecken haben, der Meiner Regierung gewahrt werden muss, um von geistlichen Aemtern und Pfründen im Allgemeinen Männer fern zu halten, welche die bürgerliche Ordnung gefährden könnten.

Wien am 18. April 1850.

XLV. Kaiserl. Verordnung vom 23. April 1850, betreffend das Verhältniss der Kirche zum öffentlichen Unterricht.

In Erwägung der §§. 2. 3. und 4. des Patentes vom 4. März 1849 genehmige Ich, nach dem Antrage Meines Ministerrathes, für alle Kronländer, für welche jenes Patent erflossen ist, nachstehende Bestimmungen:

§. 1. Niemand kann an niederen oder höheren öffentlichen Lehranstalten als katholischer Religionslehrer oder Professor der Theologie wirken, ohne die Ermächtigung hiezu von dem Bischofe erhalten zu haben, in dessen Diöcese sich die Anstalt befindet.

§. 2. Der Bischof kann die Jemanden ertheilte Ermächtigung jederzeit wieder entziehen; die blosse Entziehung dieser Ermächtigung macht jedoch einen von der Regierung angestellten Lehrer nicht des ihm gesetzlich zustehenden Anspruches auf einen Ruhegehalt verlustig.

§. 3. Es bleibt Sache der Regierung, Männer, welche vom Bischofe die Ermächtigung zum Vortrage der Theologie erhalten haben, an den theologischen Facultäten zu Professoren zu ernennen, oder als Privatdocenten zuzulassen, und diese verwalten ihr Amt nach Massgabe der akademischen Gesetze.

§. 4. Dem Bischofe steht es frei, seinen Alumnen die Vorträge, welche sie an der Universität zu besuchen haben, und deren Reihefolge vorzuzeichnen, und sie darüber in seinem Seminarium prüfen zu lassen.

§. 5. Zu den strengen Prüfungen der Candidaten der theologischen Doctorswürde ernennt der Bischof die Hälfte der Prü-

fungs-Commissare aus Männern, welche selbst den theologischen Doctorsgrad erlangt haben.

§. 6. Es kann Niemand die theologische Doctorswürde erlangen, der nicht von dem Bischofe, oder dem von ihm Beauftragten, das tridentinische Glaubensbekenntniss abgelegt hat.

Mit der Durchführung dieser Bestimmungen ist Mein Minister des Cultus und Unterrichtes beauftragt.

XLVI. Kaiserl. Oesterreichisches Patent vom 31. December 1851.

Wir Franz Joseph der Erste etc. In dem Patente vom 4. März 1849 wurden für die nachbenannten Kronländer (folgen die Namen) bestimmte politische Rechte verkündet, welche mit der gleichzeitig kundgemachten Verfassungsurkunde einer sorgfältigen Prüfung unterzogen wurden. Infolge der Gründe, welche uns durch Vernehmung des Minister- und des Reichsraths vorgetragen wurden, sehen wir uns bestimmt, das erwähnte Patent vom 4ten März 1849 und die darin für die bezeichneten Kronländer verkündeten Grundrechte hiermit ausser Kraft und gesetzliche Wirksamkeit zu setzen. Insofern über die einzelnen Punkte jener Grundrechte nicht bereits besondere Bestimmungen erfolgt sind, behalten wir uns vor, solche durch eigene Gesetze zu regeln. Wir erklären jedoch durch gegenwärtiges Patent ausdrücklich, dass wir jede in den eingangs erwähnten Kronländern gesetzlich anerkannte Kirche und Religionsgesellschaft in dem Rechte der gemeinsamen öffentlichen Religionsübung, dann in der selbstständigen Verwaltung ihrer Angelegenheiten, ferner im Besitze und Genusse der für ihre Cultus-, Unterrichts- und Wohlthätigkeitszwecke bestimmten Anstalten, Stiftungen und Fonds erhalten und schützen wollen, wobei dieselben den allgemeinen Staatsgesetzen unterworfen bleiben.

Gegeben etc. 31. December 1851.

XLVII. Conventio inter Sanctitatem Suam Pium IX. Summum Pontificem et Majestatem Suam Caesareo-Regiam Apostolicam Franciscum Josephum I. Imperatorem Austriae.

(Cui subscriptum Viennae die 18. Augusti 1855. ratificationes mutuo traditae ibidem die 25. Septembris 1855.)

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX. et Majestas Sua

Caesarea-Regia Apostolica Franciscus Josephus I. Austriae Imperator, concordibus effecturi studiis, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae Imperio conservetur et augescat, de Ecclesiae catholicae statu in eodem Imperio solemnem conventionem inire decreverunt.

Quapropter Sanctissimus Pater in Plenipotentiarium Suum nominavit: Eminentissimum Dominum Michaëlem Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Viale-Prelà, eiusdem Sanctitatis Suae et Sanctae Sedis apud praefatam Apostolicam Majestatem Pro-Nuntium, et Majestas Sua, Imperator Austriae Celsissimum Dominum Josephum Othmarum de Rauscher, Principem Archiepiscopum Viennensem, Solio Pontificio Adsistentem, Caesarei Austriaci Ordinis Leopoldini Praelatum et magnae Crucis Equitem, nec non eiusdem Majestatis Caesareae a consiliis intimis.

Qui post plenipotentiae ipsis collatae instrumenta mutuo sibi tradita atque recognita de sequentibus convenerunt:

Art. I. Religio catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio et singulis, quibus constituitur ditionibus, sarta tecta conservabitur semper cum iis juribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

Art. II. Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris quam jurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam jure divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.

Art. III. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii cum Clero et populo dioecesano pro munere officii pastoralis libere communicabunt, libere item suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt.

Art. IV. Archiepiscopis et Episcopis id quoque omne exercere liberum erit, quod pro regimine Dioecesium sive ex declaratione sive ex dispositione sacrorum Canonum juxta praesentem et a Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac praesertim:

a) Vicarios, Consiliarios et adjutores administrationis suae constituere ecclesiasticos, quoscunque ad praedicta officia idoneos judicaverint.

b) At statum clericalem assumere et ad sacros ordines secundum Canones promovere, quos necessarios aut utiles Dioe-

cesibus suis judicaverint, et e contrario, quos indignos censuerint, a susceptione ordinum arcere.

c) Beneficia minora erigere atque collatis cum Caesarea Majestate consiliis, praesertim pro convenienti redituum assignatione, Parochias instituere, dividere vel unire.

d) Praescribere preces publicas, aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut Status populive postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicere, funera aliasque omnes sacras functiones servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus moderari.

e) Convocare et celebrare ad sacrorum Canonum normam Concilia provincialia et Synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare.

Art. V. Omnis juventutis catholicae institutio in cunctis scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae Religionis catholicae; Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda diciplina nihil adsit, quod catholicae Religioni, morumque honestati adversetur.

Art. VI. Nemo sacram Theologiam, disciplinam catecheticam vel Religionis doctrinam in quocunque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missionem tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano, cuius eamdem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem theologicae facultatis professorum quidam ab Episcopo ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum doctoris Theologiae vel sacrorum Canonum adspirant, dimidiam partem examinantium Episcopus dioecesanus ex doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.

Art. VII. In gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis pro juventute catholica destinatis nonnisi viri catholici in professores seu magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae

tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam instructionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De Religionis magistris pro publicis gymnasiis mediisque scholis deputandis firma manebunt, quae hac de re salubriter constituta sunt.

Art. VIII. Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas Sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni religiosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum ecclesiasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. In ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

Art. IX. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros Religioni morumque honestati perniciosos censura perstringant et fideles ab eorundem lectione avertant. Sed et Gubernium, ne eiusmodi libri in Imperio divulgentur, quovis opportuno remedio cavebit.

Art. X. Quum caussae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones nec non officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet judex ecclesiasticus, qui perinde de caussis quoque matrimonialibus iuxta sacros Canones et Tridentina cumprimis decreta judicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad judicem saecularem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica judicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis, quae idem Concilium Tridentinum et Apostolicae Litterae, quarum initium: „Auctorem fidei“ constituunt.

Art. XI. Sacrorum Antistitibus liberum erit, in Clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes aut quomodocunque reprehensione dignos poenas a sacris Canonibus statutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes judicaverint, infligere, eosque in monasteriis, Seminariis aut domibus ad id destinandis custodire. Iidem nullatenus impedientur, quominus censuris animadvertant in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum et Canonum transgressores.

Art. XII. De jure patronatus judex ecclesiasticus cognoscet; consentit tamen Sancta Sedes, ut, quando de laicali pa-

tronatu agatur, tribunalia saecularia iudicare possint de successione quoad eumdem patronatum, seu controversiae ipsae inter veros et suppositos patronos agantur seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Decernentes, hasce literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere: in contrarium facientibus etiam expressa specifica et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, sanctionis, declarationis, denunciationis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo primo nonis Augusti, pontificatus nostri anno primo.

B. card. Pacca, pro-dat. Th. card. Bernettus.

Visa de Curia.

D. Testa. V. Cugnonius.

Loco † plumbi.

LXXIX. Regulae Ordinationes, et Constitutiones Cancellariae Apostolicae Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina providentia Papae XIV. Datae die 9. Iunii 1769 *).

Sanctissimus in Christo pater, et dominus noster dominus Clemens divina providentia Papa XIV suorum praedecessorum vestigiis inhaerendo, normam, et ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suae assumptionis ad summi apostolatus apicem, videlicet die 20 mensis Maji anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo sexagesimo nono, reservationes, constitutiones, et regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Henricus Benedictus Episcopus Tusculanus, sanctae romanae Ecclesiae Cardinalis vicecancellarius, die 9 mensis Junii in cancellaria apostolica publicari fecimus.

§. 1. In primis fecit easdem reservationes, quae in constitutione fel. record. Benedicti PP. XII., quae incipit: Ad regimen, continentur, et illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi officiales in eadem constitutione expressi, apostolicae Sedis officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quae tempore, quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quae dictae Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quandocumque assecuti fuerint sub hujusmodi reservationibus comprehendi; Ac reservavit beneficia, quae per constitutionem piae mem. Joannis Papae XXII., quae incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerint. Quam constitutionem, et reservationem S. S. tam ad beneficia obtenta, quam alia quaecumque, de quibus Ordinarii, et alii collatores, contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, et disponent in futurum, extendit, et ampliavit, et ea etiam beneficia omnia dispositioni suae reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum etc.

§. 2. Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriar-

*) Haec est postrema harum Regularum publicatio quae in Bullario occurrit.

chales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non omnia monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura: et voluit, quod excessus hujusmodi in literis exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates, et beneficia omnia ad collationem, praesentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, et episcoporum, necnon abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, et collatricum saecularium, et regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius praesentationem, vel electionem pertinentia) quae post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates apostolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum. Decernens irritum etc.

§. 3. Item, si qui de beneficiis ecclesiasticis, praesertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suae resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, et declaravit, quod si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, et provisionis, seu assecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quaecumque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica saecularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium, regularia per eos tunc obtenta, nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus praedictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae, vel alterius romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nunciorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit; omnes, et singulae concessiones, collationes, provisiones, et quaevis aliae dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis,

dimittendis, et cedendis pro tempore faciendae, cum inde sequutis quibuscumque, cassae, et irritae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur; sed beneficia, et jura, ut praefertur, resignata, dimissa, et cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione praedicta, quam Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit, et ampliavit, comprehensa censeantur: Ita quod de illis per alium, quam per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, et per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi vere, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate apostolica provisus, ac per cujus assequutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter, et appellatione remota exercendis. Decernens irritum etc. attentari.

§. 4. Item reservavit generaliter dispositioni suae omnes dignitates majores post pontificales in cathedralibus, etiam metropolitanis, et patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis. Reservavit etiam prioratus, praeposituras, praepositatus, ac alias dignitates conventuales, et praeceptorias generales ordinum quorumcumque (sed non militiarum), ac quaecumque beneficia, quae sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc, et qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui commensales obtinent, et in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quae jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans dignitates, quae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales non majores existunt, quae ex apostolicae Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine praescripta, vel alias quovis modo in quibuscumque collegiatis ecclesiis principalem praeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedicta comprehendi debere. Decernens irritum etc.

§. 5. Item reservavit generaliter omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque collectorum, et unicorum in quacumque civitate, vel dioecesi, qui suo tempore officia exer-

cuerint, subcollectorum fructuum, et proventuum Camerae Apostolicae debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quae durante eorum officio obtinebant, et in quibus, seu ad quae jus eis competebat. Decernens irritum etc.

§. 6. Item reservavit omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque curialium, quos, dum curia romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam a dicta curia remoto. Decernens irritum etc.

§. 7. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suae omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac cursorum suorum, declarans in praedecessorum suorum romanorum Pontificum constitutionibus, et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum, etiam cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, et publicationis intelligi, et comprehendi, ac comprehensos fuisse, et esse. Irritumque etc. attentari decernens.

§. 8. Item reservavit dispositioni suae generaliter quoscumque canonicatus, et praebendas, ac dignitates, personatus, et officia in S. Joannis Lateranensis, et principis Apostolorum, ac Beatae Mariae Majoris de urbe ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem, et praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a romana curia absentium ratione suorum episcopatuum, cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, et diaconiarum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, canonicatus, et praebendas dignitates, personatus, administrationes, et officia, caeteraque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura vacantia, ac in antea vacatura, tam in eadem urbe, quam in ecclesiis, civitatibus, ac dioecesibus dictorum episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum etc.

§. 9. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, et Novembris mensibus, usque ad suae voluntatis beneplacitum, extra romanam curiam, alias, quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, et collatricum saecularium, et quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub

concordatis inter Sedem apostolicam, et quoscumque alios initis, et per eos, qui illa acceptare, et observare decuerant, acceptatis, et observatis, quae laedere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quae dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint, dispositive mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, et pinguiores praebendas, necnon privilegia etiam in limine erectionis concessa, et indulta apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub huiusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, et fortioribus, efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, et latissime extendi voluit, quibusvis personis, et collegiis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum patriarchis, archiepiscopis, et episcopis intenta, ipsis quamdiu apud ecclesias, aut Dioeceses suas vere, et personaliter resederint dumtaxat, de omnibus, et quibuscumque Beneficiis ecclesiasticis cum cura, et sine cura saecularibus, et regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu praesentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus), quae in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, et Decembris extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicae reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem tempore sui pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, et Novembris vacaturorum (quae etiam dispositioni suae, ut praefertur, reservavit,) seu etiam aliorum dispositioni suae, et dictae Sedis alias quomodolibet reservatorum vel affectorum sese intromiserint, aut quominus provisiones, et gratiae Sanctitatis Suae de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo praestiterint, usu, et beneficio praedictae facultatis, eo ipso privati existant, ac collationes, et aliae dispositiones de Beneficiis illius praetextu deinceps faciendae nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero qui

gratiam alternativae praedictae acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate, vel dioecesi datas declarare, et literas ipsas huc ad datarium Sanctitatis Suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, et recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, et non antea uti incipiant gratia supradicta. Insuper declaravit, quod si idem episcopus pluribus ecclesiis quomodocumque unitis ex apostolica concessione, et dispensatione quomodocumque praesit, teneatur hujusmodi alternativae gratiam, quatenus ea potiri velit, utriusque ecclesiae nomine explicite acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, et admissionem in Dataria neutri parti liceat, nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans praeterea exceptionem positam in regula favore S. R. E. Cardinalium, et indultum conferendi beneficia reservata concessum Cardinali episcopo, non suffragari capitulo ratione communionis, et consortii juxta declarationem fel. re. Urbani PP. VIII. praedecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus, et per omnia approbat. Decernens sic in praemissis omnibus per quoscumque etc. judicari debere, ac irritum etc.

§. 10. Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. rec. Clem. XIII. praedecessorem suum, et de ejus mandato expediantur in forma Rationi congruit etc. sub die coronationis suae, ut moris est, et idem quoad concessa per piae mem. Benedictum XIV. etiam praedecessorem suum ad sex menses dumtaxat, ab ipso die coronationis incipiendos, observari voluit.

§. 11. Item declaravit omnium, et singularum ecclesiarum cathedralium, et monasteriorum provisiones, quas praedicti praedecessores sui ordinationi, et dispositioni eorum, necnon omnia, et singula beneficia ecclesiastica, quae dicti praedecessores etiam praedictae dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quae quidem ecclesiae, monasteria, necnon sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem praedecessorum vacabant, aut ecclesiae ipsae, vel monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, et remanere per hujusmodi reservationem, et decretum affecta, nullumque de illis praeter romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquomodo. Decernens irritum, et inane, si secus super

illis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contingeret attentari.

§. 12. Item praedictus D. N. omnes, et singulas a Clemente XIII romano Pontifice praedecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas gratiae, vel justitiae literas temporibus debitis earum executoribus, seu judicibus non praesentatas omnino revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentae, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit per executores, seu judices praedictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, et debere juxta illarum formam.

§. 13. Item rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, et dismembrationes, etiam perpetuas de quibusvis cathedralibus, necnon aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis ecclesiasticis, eorumve domibus, praediis, et locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem qualiacumque fuerint, invicem, vel aliis ecclesiis, monasteriis, et mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ac piis, et aliis locis, universitatibus etiam studiorum generalium, et collegiis, etiam in favorem Sanc. Romanae Ecclesiae Cardinalium, seu ecclesiis, monasteriis, et beneficiis per eos obtentis quomodolibet apostolica, vel alia quavis (non tamen Conc. Trid. auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum, et religiosorum locorum ad fidei catholicae defensionem, et propagationem, bonarumque artium cultum institutorum), factas, quae suum non sunt sortitae effectum: Ac quascumque concessiones, et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, et aliis praemissis taliter faciendis revocavit, cassavit, et irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quae Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, in quibusvis Apostolicis, etiam quae motu proprio, aut ex certa scientia, et consistorialiter processerunt, et emanarunt literis, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quaesitum fore, quomodolibet contenta adversus revocationem, et irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum etc.

§. 14. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis personis, ac

praelatis, etiam utriusque Signaturae referendariis, nec non apostolicae Sedis Nunciis, ac fructuum, et proventuum Camerae Apostolicae debitorum collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, et aetatis defectibus, et de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis insimul retinendis necnon de notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, et alias a praemissis officia ipsorum Nunciorum, et collectorum directe non concernentes, etiamsi in literis desuper confectis sint clausulae restitutoriae, et derogatoriarum derogatoriae, et aliae efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsae non sunt sortitae effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictae Sedis legatis de latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum etc.

§. 15. Item revocavit quascumque facultates, et literas desuper confectas, per quas quicumque sui praedecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, et quavis etiam patriarchali, Archiepiscopali, episcopali, vel alia dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis ac irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent vel suis ecclesiis, seu monasteriis praeessent, aut ad aliud tempus de beneficiis ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus disponere libere, et licite valerent, aut etiam ad id per eosdem praedecessores vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, et inane etc.

§. 16. Item, ut in apostolicis literis committendi crimen falsi peramplius tollatur occasio, voluit, et ordinavit, quod dictiones numerales, quae in dictis literis ante nonas, idus, et kalendas immediate poni consueverunt, per literas, et syllabas extense describantur, et illae ex praedictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptae fuerint, ad bullariam nullatenus mittantur.

§. 17. Item voluit, quod de concurrentibus in data ejusdem

diei super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiae motu proprio conceduntur, caeteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter aequaliter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in curia praesentes absentibus ab ea, ac inter praesentes non beneficiati beneficiatis, et similiter inter absentes, caeteris paribus oriundus non oriundo, et dioecesanus non dioecesano; in reliquis vero singuli, qui prius apostolicas desuper literas eorum executoribus praesentaverint; alias in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione praeferantur.

§. 18. Item, ne per varias, quae pro commissionibus, seu mandatis, et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur, Idem D. N. decrevit, et declaravit suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, et ex certa scientia, ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tollatur.

§. 19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in romana curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatae, et postea infra viginti dies a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio huiusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

§. 20. Item voluit, quod si contingat tam in curia, quam extra, alicui personae de parochiali ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curae animarum parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam, vel beneficium huiusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum etc.

§. 21. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet, provisio, et quaevis

dispositio, etiam vigore alterius novae supplicationis, vel gratiae dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendae nullius sint roboris, vel momenti.

§. 22. Item voluit, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

§. 23. Item de mendicantibus transferendis, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. record. Martini papae V. praedecessoris sui desuper factam, et in libro Cancellariae apostolicae descriptam, quae incipit: Viam ambitiosae cupiditatis etc. firmiter observari.

§. 24. Item de clericis extra tempora a jure statuta, sive ante aetatem legitimam, aut absque dimissoriis literis ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piae mem. Pii secundi similiter praedecessoris sui desuper editam, et in dictae Cancellariae Apostolicae libro descriptam, quae incipit: Cum ex Sacrorum Ordinum etc. pari modo observari.

§. 25. Item declaravit idem Dominus noster, quod libra Turonensium parvorum, et florenus auri de camera pro aequali valore in concernentibus literas, et Cameram Apostolicam computari, et aestimari debeant.

§. 26. Item praedictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quod quaecumque concessiones, gratiae, et mandata etiam motu proprio, et cum derogatione hujus constitutionis, quae ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque, ad ecclesiarum, et monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum praecesserint; nec non quaecumque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendae de praemissis, et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis saecularibus, et regularibus, quae per promovendos, vel assumendos ad quascumque praelaturas, inter illarum vacationis, et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resi-

gnari, vel alias dimitti contigerit, cum inde sequutis pro tempore sint cassae, et irritae, nulliusque roboris, vel momenti.

§. 27. Item cum ante confectionem literarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem Dominus Noster, quod judices in romana curia, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel quicumque alii non juxta supplicationum signaturam, super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per placet, vel per S. R. E. vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatae) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernens irritum etc. Et si literae ipsae per praeoccupationem, vel alias minus bene expeditae reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam ad apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendae.

§. 28. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria apostolica regulis, et constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos, qui in romana curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum, et constitutionum (quae juxta varietatem concurrentium causarum, et negociorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulae, seu scripturae desuper a duobus majoris praesidentiae, quod danda sit, a tergo signatae, et etiam a duobus aliis literarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatae, et vicecancellarii, seu dictam Cancellariam regentis manu subscriptae, ut moris est, quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris, vel momenti.

§. 29. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, et ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, et ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, siquod

forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo praedictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de praemisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessiones, etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factae nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum praesertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitae periculum impetrant, ut illis decedentibus, tamquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur; voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, et subrogatio, vel gratia si neutri, si nulli, seu novae provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

§. 30. Item voluit, et ordinavit, quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, saecularibus, vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam ejusdem SS. D. N. verisimiliter potuerint pervenire.

§. 31. Item quod omnes, et singulae commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentu, vel occasione concessionum dumtaxat apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus literae apostolicae confectae non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

§. 32. Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus cardinalis, teneatur exprimere nomen, et titulum ipsius Cardinalis, et si ille in curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla, et idem servari voluit, si cardinales quomodolibet ab ipsa curia absentes, et ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, et lares in eadem curia retinentes ab ipsa curia recesserint, ad eamdem illico

reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint. Ita quod cardinalibus alias, quam, ut praefertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria et hic necessario exprimenda absentibus facultas praestandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suae, et Sedis apostolicae provisionem, et dispositionem pertineant. Declarans regulas, et constitutiones suorum praedecessorum, etiam a die earum editionis, et publicationis super assensu hujusmodi praestando sic intellectas, et intelligendas fuisse. Irritumque etc. attentari decernens. Quodque si praedicti familiares eorumdem cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum cardinalium familiaritatem similem transierint quoad beneficia, quae familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus, vel ad quae priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint suum habeant adhibere consensum. Declarans praesentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quae familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictae dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Nec non illos quoad effectum dictae constitutionis familiares eorumdem cardinalium censeri, qui ipsorum cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum etc.

§. 33. Item D. N. ad evitandas lites, et contentiones, quae ex praecedenti sua constitutione exoriri possent, vestigiis praedecessorum suorum inhaerendo, voluit, statuit, et ordinavit, quod si beneficia, quae per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta praecedenti constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione literarum illius cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat: sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem cardinalis ordinarii collatoris, ut praefertur, libere spectare censeantur; et si apud sedem apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione literarum, illius cardinalis exigatur consensus, si in romana curia praesens fuerit, ad quem

eorumdem collatio, et dispositio, ut praefertur, pertinere deberet. Ita ut cardinalis ordinarius collator, in concursu cum cardinali patrono semper praeferri debeat, salvis tamen semper indultis concessis, et concedendis eisdem S. R. E. cardinalibus. Decernens irritum etc.

§. 34. Item voluit idem D. N., quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio per Fiat, et Concessum signaturis, ex eis per Fiat etiam ut petitur habens, alteri per Concessum etiam motu proprio habenti praeferatur, etiamsi in illa per Concessum praegnantiores, et quantumlibet privilegiativae essent clausulae.

§. 35. Item SS. D. N., ut improbae lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullam ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque et tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur; alioquin impetratio praedicta, et quaecumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et interesse possessorem praedictum propterea contingentibus, ei satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Camerae Apostolicae sit adstrictus, nec alius quam praemissae vacationis modus etiam per literas si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa excessus, et crimina vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

§. 36. Item statuit, et ordinavit idem D. N., quod si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione,

seu praesentatione, et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et praesentatio, seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit, (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicae ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

§. 37. Item idem D. N., ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus, et expensis, suorum praedecessorum constitutionibus, et statutis inhaerendo, statuit, et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quae vim habeat diffinitivae, vel a gravamine minime concernente negocium principale, quod non possit per appellationem a diffinitiva sententia reparari. Nullaeque causae appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivae habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, et commissiones in posterum, et quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti: commissionibus appellationum jam judicibus praesentatis, et exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, et appellationes etiam ab interlocutoriis, et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quae reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri poena mulctentur.

§. 38. Item statuit, et ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi commissionis, eidem conclusioni, ac praesenti regulae derogetur expresse.

§. 39. Item voluit, et ordinavit, quod si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile, cum clausula,

quod exinde pro solo nutu abbatis, vel superioris amoveri non possint, literae quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

§. 40. Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio ponatur clausula: Attente quoque provideas etc.; Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula: Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

§. 41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literae desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per Fiat, ut petitur, supplicatio signata fuerit.

§. 42. Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de jurepatronatus laicorum non expediantur literae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a jure praefixum lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum juripatronatus hujusmodi derogari contigerit, jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositive, ac specifice, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat. Et si de hoc in literis provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

§. 43. Item voluit, quod nulli saeculari de regulari, nec religioso de saeculari beneficiis commenda detur, nisi in signatura, vel per clausulam ad partem super petitione commendae hujusmodi, de commenda ipsa mentio fiat.

§. 44. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literae super prima data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali data cuiquam videatur posse fieri praejudicium, literae hujusmodi sub ipsa prima data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi per Fiat sub prima data signatae fuerint.

§. 45. Item voluit, et ordinavit, quod super resignatione cujuscumque beneficii ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in cancellaria apostolica fieri contigerit, apo-

stolicae literae nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si praesens in romana curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem cancellaria expresse consenserit, et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem, seu cedentem pluries super uno, et eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, et alii posteriores consensus, ac literae eorum praetextu, etiam sub priori data expeditae pro tempore nullius sint roboris, vel momenti, nec literae reservationis, vel assignationis, etiam Motu proprio, cujusvis pensionis annuae super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

§. 46. Item non dentur literae super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi professio praecesserit. Datam desuper petitionis.

§. 47. Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in cancellaria apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literae desuper expediantur.

§. 48. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam, vel de ejus mandato factam', super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, judex datur, literae desuper expediantur cum expressione, quod idem judex executionem faciant per seipsum.

§. 49. Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula: Si mulier rapta non fuerit. Et si scienter, ponatur clausula: addita in quaterno.

§. 50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula: Quod non praejudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

§. 51. Item, quod per quamcumque signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

§. 52. Item cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per regulas cancellariae apostolicae sint provide limitatae, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi con-

cessionibus oblatis multa sint petita, ne quis talium concessionum praetextu, id dispensative tenere, aut facere praesumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N., quod nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea literae apostolicae sit confectae.

§. 53. Item voluit, quod in literis indulgentiarum ponatur, quod si ecclesiae, vel cappellae, aut alias aliqua indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi literae sint nullae.

§. 54. Item voluit idem D. N., quod literae super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

§. 55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis, vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, quae dictae personae tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annus valor per marchas argenti, aut Sterligorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem aestimationem exprimatur, nisi personae praedictae beneficia, quae tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quae jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiae praedictae sint nullae: Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac literis, per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium, et cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis conceditur, ut monasteria, et alia beneficia ecclesiastica saecularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus, et ad quae jus eis competit, retinere possint.

§. 56. Voluit, et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulae si petantur, etiamsi illud quovis modo etc. seu per constitutionem Execrabilis vacet, et specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli etc. petente, si tunc lis specifice exprimatur; nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione specialis, et expressa, ac pure, et non sub conditione mentio fiat, et tunc reliquae reservationes ibi contentae

veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli etc. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur collectorem, vel unicum subcollectorem, abbreviatorem, vel familiarem, notarium, aut dictae Sedis officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo, quod talis collector, vel unicus subcollector, abbreviator, vel familiaris, notarius aut dictae Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicae generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quaesitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

§. 57. Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiae desuper factae sint nullae. Et si qualitates hujsmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quae tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

§. 58. Item si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem vacaturis ponatur clausula, etiamsi non petatur, cum beneficia hujusmodi praemisso, vel alias quovis modo etc. praeterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum etc.

§. 59. Item voluit, quod si petatur aliquem in religionem recipi, et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, receptio hujusmodi dumtaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat impedimentum et exprimatur si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, et si numerus iste non existat, ponatur; dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.

§. 60. Item, si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo

